DE

SENECAE HERCULE OETAEO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AUCTORITATE ET CONSENSU AMPLISSIMI
ORDINIS PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM AD SUMMOS IN
PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

AEMILIUS ACKERMANN
KLAUKENBURGENSIS

MARPURGI CATTORUM
A. MCMV

Birtio viro doctissimo suadente amplissimus ordo philosophorum Marpurgensium hoc opus probavit a. d. VI. Id. Mai. anni MCMV.

Pars prima.
Pars altera et tertia propediem in Philologi supplemento vulgabitur.

Typis Lauppii iunioris Tubingensis.

De Senecae Hercule Oetaeo.

Iam iterum ac saepius disputaverunt viri docti, utrum Hercules Oetaeus fabula nomine Senecae inscripta tota et indivisa sit tragoedia ab uno eodemque poeta scripta an diversis ex partibus composita compluribus auctoribus originem debeat. nec magis nimirum de poeta ipso constabat. alii enim nonnullas fabulae partes spurias, alii totam tragoediam Senecae abiudicandam, alii totam clarissimo illi philosopho esse relinquendam demonstrare studuerunt. et magna est series virorum doctorum, qui in Hercule Oetaeo tractanda operam ac studium collocaverunt. quos cum Mich. Muellerus (in Senecae tragoedias quaestiones criticae p. 1 sq.), Schanzius (Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft VIII, II 2 p. 39 sq. et p. 50), G. Richterus (in editionis [1902] nota titulo subiecta p. 319 sq.) diligenter enumeraverint, hanc quaestionem iterum ab ovo tractare supersedeo et satis habeo nihil commemorare nisi haec. Richtero, qui quondam totam tragoediam a Seneca abiudicaverat (de Seneca tragoediarum auctore a. 1862 p. 31), Melzerus probavit (de Hercule Oetaeo Annaeana a. 1890) fabulam a Seneca breviter delineatam, non absolutam et perpolitam esse. itaque Richterus iam ad id progressus est, ut in annotationibus eis, quas memoravi, scriberet sententiam Leonis, qui solam priorem fabulae partem a Seneca esse profectam statuerat (de Senecae tragoediis observationes criticae a. 1878), stare non posse. sed Leoni non item Melzerus persuadere potuit. Leo enim cum nuper dixerit (Göttingische Gelehrten-Anzeigen a. 1903 fasc. 1 p. 5): Man wird mir glauben, dass ich dieser Jugendarbeit wie einer fremden gegenüberstehe; so darf ich wohl sagen, dass ich fast alle gegen meine Beweisführung erhobenen Einwendungen für unrichtig halte, in pristina opinione sua perseverat. Birtius autem, qui olim Herculem Oetaeum spuriam fabulam esse contenderat (zu Senekas Tragödien, Mus. Rhen. t. 34), per colloquium mecum communicavit se nunc

propensiorem esse in partem eorum qui genuinam eam esse asseverent; certe unius poetae esse. itaque rogavit me vir doctissimus, ut ipse quoque huic quaestioni operam navarem. quae cum ita essent, meum esse putavi denuo has res excutere et disputare, praesertim cum nonnulla me invenisse crederem argumenta adhuc a viris doctis neglecta. quaenam sunt haec argumenta? aut Leonem aut Melzerum recte dixisse comprobare nolo; solummodo demonstrare conabor argumenta eorum, qui Herculem Oetaeum totam et indivisam tragoediam a Seneca scriptam esse negant, parum valere. quae res tractanda tres sibi requirit partes. primum enim de auctoritate, tum de unitate, tertium de consilio huius tragoediae quaeram.

I. De Herculis auctore.

Quis igitur sit auctor Herculis Oetaei nunc considerandum est. Leo, qui hanc quaestionem *ex integro instituit*, argumentationem suam incipit his a verbis (l. s. p. 48): *habet autem haec fabula quibus vel obiter intuenti a reliquis differre videatur: titulum antiquitus praefert cum prima fabula communem; agitur primum ad Oechaliam, dein Trachine; chori audiuntur duo; spatium complet reliquis fere duplo ampliorem* (sic). communem titulum vir doctissimus, quamquam ipse priorem tragoediae partem (v. 1—740)[1]) genuinam aestimat, argumentum esse contendit. sed versus 1—740 quemnam titulum habent? Birtius qui traditi fabularum Annaeanarum ordinis causis sciscitandis diligenter operam dedit (Mus. Rhen. 34 p. 532), secundum res et titulorum naturam ordinatas esse tragoedias recte dixisse videtur. sed cum Hercules alter et in re et in tituli forma cum antecedente fabula egregie concordet (utrobique enim viri nomen est), non est cur cum Birtio Herculem Oetaeum spuriam esse credamus, praesertim cum Herculi priori fabulae in initio positae respondeat Hercules alter in fine exstans. atque cum post Herculem furentem semper binarum fabularum tituli inter se congruant, non versimile esse mihi quidem videtur Thyestem non habere quo spectet. praeterea Herculem Oetaeum non unicum exemplum esse puto quo indicetur eundem poetam duas tragoedias eodem titulo prae-

[1]) Numeris a Richtero editore adhibitis sum usus.

scriptas fecisse. Sophocles enim duos Aiaces scripsit, Aiacem μαστιγοφόρον et Aiacem Λοκρόν. atque in Aiacis superstitis hypothesi legimus hanc fabulam Aiacem μαστιγοφόρον nominatam esse, ut ab altero Aiace discerni posset, nam ἐν ταῖς διδασκαλίαις ψιλῶς Αἴας ἀναγέγραπται. hac re mihi probatur Sophoclis Aiacibus eundem titulum (sc. Αἴας) fuisse [2]. sed haec omnia, quae protuli, si falsa essent, cum infra (in tertia parte) dixerim quibus causis commotus poeta iterum Herculem tractaverit, non ita aegre ferrem [3]. reliqua Leonis argumenta, quae supra (p. 4) commemoravi, cum Hercules Oetaeus sit δρᾶμα ἀναγνωστικόν (cf. part. alt.), nullius momenti sunt. sed ponamus hanc fabulam in scaenam esse productam, tamen in eo, quod duobus locis res agitur, offendere non possumus. nemo enim nescit et in Aeschyli Eumenidibus et in Sophoclis Aiace idem fieri. ac Birtius vir doctissimus non solum in Curiatii Materni Domitio praetextata, sed etiam in Senecae Phoenissis scenam mutari comprobare conatus est (p. 526 sqq.). quod duo chori inducuntur, cum in Agamemnone idem deprehendamus, ab Annaeano usu non abhorret. accedit quod Melzerus (l. s. p. 12) et Steinbergerus (commentationes Guilelmo de Christ dedicatae p. 189) dubitant, an in Medea quoque duplex sit statuendus chorus. nec est cur versuum multitudinem vituperemus. cum enim Hercules alter ex versibus 1996, Hercules prior ex 1326 constet, differentia non tanta est, quae ferri non possit. atque cum Aristoteles dicat (ars poet. cap. 7): τοῦ μήκους ὅρος <ὁ> μὲν πρὸς τοὺς ἀγῶνας καὶ τὴν αἴσθησιν, οὐ τῆς τέχνης ἐστίν, solummodo deliberandum est, utrum spatium, quod Hercules Oetaeus complet, sit tantum, ut in scaenam produci non possit an etiam aliae tragoediae eiusdem longitudinis inveniantur. Sophoclis Oedipus Coloneus 1779 ex versibus composita est et Euripidis Phoenissis sunt versus 1766. Iuvenalis ingentes fabulas irridet I 4 sqq.:

impune diem consumpserit ingens
Telephus aut summi plena iam margine libri
scriptus et in tergo necdum finitus Orestes? [4])

[2]) Cf. G. Hippenstiel *de Graecorum tragicorum principum fabularum nominibus* p. 15 sqq.
[3]) De communi titulo etiam Melzerus disputavit p. 13.
[4]) Cf. Friedlaenderum ad l., qui duos alios adnotavit.

itaque in Herculis alterius versuum numero haerere non possum [5] (cf. partem alteram et tertiam). aegre quoque tulerunt Bentleius [6] et Leo [7], quod Hercules Oetaeus et Octavia fabulae solae cantico terminantur. contra dici potest Annaeanas tragoedias omnes praeter Phaedram et Octaviam, in quarum initiis monodia invenitur, a prologo incipere. hac re num Phaedram esse spuriam probatur?

Multos vero Herculis Oetaei locos imitatione e ceteris Senecae tragoediis expressos esse contenderunt Goebelius [8], Richterus [9], Leo [10], Birtius [11], Tachavus [12]. sed haec res, cum et Leo (I p. 49) et Tachavus (l. s.) lubenter concesserint iure optimo obici posse Senecam solere semet ipsum exscribere etiam in reliquis fabulis, praesertim ubi de rebus similibus agatur, sine dubio cautionem habet. atque Melzerus, qui plurimos locos a viris doctis collectos iniuria huc referri putaverit, quinque tantum versiculos fortasse alicuius momenti esse dixit (p. 21 sq.). ego autem reliquas fabulas Annaeanas perscrutatus aliam tragoediam inveni, in qua eadem licentia atque in Hercule Oetaeo admissa est. conferas enim inter se haec:

Med. 222: huc ferat et illuc
Hf. 999: huc eat et illuc
Med. 215: vidua Thermodontiis
Hf. 246: vidua Thermodontiae
Med. 270: libera cives metu
Troad. 581: libera Graios metu
Med. 288: precor brevem largire fugienti moram,
dum extrema natis mater infigo oscula
Troad. 760: brevem moram largire dum officium parens
nato supremum reddo

---

[5]) Conferas etiam Melzerum p. 13.
[6]) Albert Stachelscheid, *Bentleys Emendationen zu Senecas Tragoedien*, ann. Fleck 125, p. 492.
[7]) Die Komposition der Chorlieder Senecas, Mus. Rhen. 52 p. 512.
[8]) Quaestiones Horatianae, pars II in Muetzell, *Zeitschrift für das Gymnasialwesen* XVI, p. 738 adn. 1.
[9]) De Seneca tragoediarum auctore p. 30 sq.
[10]) Editionis vol. I p. 51 sq.
[11]) L. s. p. 522 sqq. et p. 586.
[12]) Zu Senecas Tragoedien, Philol. 46 [1887], p. 378 sqq.

Med. 431: o dura fata semper et sortem asperam
Troad. 1056: o dura fata saeva miseranda horrida
Med. 432: cum saevit et cum parcit
Phoen. 35: cum occidis et cum parcis
Med. 446: totus in vultu est dolor
Ag. 128: totus in vultu est dolor
Med. 493: dum licet abire, profuge teque hinc eripe
Thy. 428: reflecte gressum, dum licet, teque eripe
Med. 531: nunc summe toto Iuppiter caelo tona
Hf. 1202: nunc parte ab omni, genitor, iratus tona
Med. 550: bene est, tenetur
Troad. 630: bene est, tenetur
Med. 561: excidimus tibi?
HO 1332: excidimus tibi?
Med. 652: quamvis bene fata nosset
Phoen. 83: fata bene novi mea
Med. 896: pars ultionis ista qua gaudes quota est?
Hf. 1191: cladis tuae pars ista quam nosti quota est?
Med. 945: unicum afflictae domus
Troad. 462: unica afflictae domus
Med. 1019: bene est, peractum est
Oed. 998: bene habet, peractum est.

Hos locos si vidisset Richterus qui, cum in Hercule Oetaeo octo tantum versiculos imitando effectos exstare credidisset, dicere iam ausus est (l. s. p. 30): *imitatoris imbecillitas vel eo se prodit, quod multa ex aliis fabulis, imprimis ex Hercule priore, in usum suum convertit*, aut verbis *imitatoris imbecillitas* non usus esset, aut Medeam quoque spuriam putavisset. itaque si Medea genuina est fabula, etiam Hercules Oetaeus a Seneca scripta esse potest.

Sed ne dicas non satis diligenter me hac in re versatum esse, versus iam affero hos:

Hf. 46: nec satis terrae patent
Hf. 605: non satis terrae patent
Med. 185: liberet fines metu

Med. 270: libera cives metu

Thy. 279: bene est, abunde est
Thy. 889: bene est, abunde est

Thy. 348: rex est qui posuit metus
Thy. 388: rex et qui metuit nihil[13])

Hf. 522: infernus imo sonuit e fundo fragor[14])
Thy. 262: imo mugit e fundo solum

Hf. 330: talis incessu venit
Troad. 465: talis incessu fuit

Hf. 1189: His etiam, pater,
quicquam timeri maius aut gravius potest?
Oed. 828: malum timeri maius his aliquod potest?

Hf. 1202: nunc parte ab omni, genitor, iratus tona
Thy. 1080: committe et omni parte violentum intona

Hf. 953: quo, nate, vultus huc et huc acres refers
Troad. 1092: pro turre, vultus huc et huc acres tulit

Hf. 1009: Megara furenti similis e latebris fugit
Phoen. 427: vadit furenti similis aut etiam furit

Hf. 1283: fortis in pueros modo
Troad. 755: fortis in pueri necem

Hf. 1012: quo misera pergis?
Phaed. 142: quo misera pergis?

Phaed. 155: quid ille qui mundum quatit
vibrans corusca fulmen Aetnaeum manu
sator deorum?
Oed. 1028: non si ipse mundum concitans divum sator corusca saeva tela iaculetur manu

Phaed. 258: decreta mors est
Phoen. 244: decreta mors est

Phaed. 525: non equidem reor
Troad. 868: non equidem reor

Phaed. 1271: o dira fata, numinum o saevus furor
Oed. 75: o saeva nimium numina, o fatum grave

Oed. 521: mitteris Erebo vile pro cunctis caput
Ag. 231: oppone cunctis vile suppliciis caput

---

[13]) Versum delevit Leo vol. II p. 251. [14]) Delevit Leo II p. 375.

Oed. 868: dehisce tellus, tuque
Troad. 519: dehisce tellus, tuque
Hf. 1148: nescio quod animus grande praesagit malum
Phoen. 278: magna praesagit mala
paternus animus
Thy. 958: mens ante sui praesaga mali
HO 745[15]): nescio quod animus grande praesagit malum
Hf. 1138: quis hic locus, quae regio, quae mundi plaga?
Troad. 498: quis te locus, quae regio seducta, invia
tuto reponet?
HO 1797[16]): quis me locus, quae regio, quae mundi plaga
defendet?

Alios locos collegit et cum Octaviae versibus composuit Fr. Ladek (de Octavia praetexta. dissertationes Vindobonenses III p. 52 sqq.). sed iam satis me demonstravisse credo ceteris in fabulis locos imitatione expressos non minus raro quam in Hercule Oetaeo inveniri. ac si tales loci in altero Hercule aliquanto crebrius exstarent, non multum valeret. tale quid etiam alii poetae et scriptores sibi permiserunt. in fine Euripidis Alcestis, Medeae, Andromachae, Baccharum, Helenae scriptum videmus:

πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων
πολλὰ δ'ἀέλπτως κραίνουσι θεοί·
καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.
τοιόνδ' ἀπέβη τόδε πρᾶγμα[17]).

ex Xenophontis Hellenicis totas paragraphos ad verbum fere in Agesilaum translatas esse recte vidit H. Hagenius (de Xenophonteo qui fertur Agesilao capita V p. 11). nec ab Dione Chrysostomo tales repetitiones sunt alienae; confer H. de Ar-

[15]) Leo solummodo versus *Hf.* 1148 et *HO* 745 vidit (I p. 51); pertinent autem haec verba ad sermonem cottidianam, legimus enim iam apud Terentium (Heautont. 236):
sed nescio quid profecto mi animus praesagit mali.

[16]) Non igitur in Hercule priore et altero fabulis solis haec verba exstant. confer Leonem I p. 52.

[17]) Hos versus non semper genuinos esse contendit Lindskog non primus (Studien zum antiken Drama p. 17).

nim Leben und Werke des Dio von Prusa p. 416 sqq. haec omnia si animo complectemur, etiam Senecae eorundem verborum iterationem indulgebimus[18]).

Nonnumquam autem verbis iterum usurpatis aliquid duriusculi vel obscuri et contorti inhaerere dixerunt D. Heinsius, Leo, Birtius, Tachavus. atque Heinsius (apud Scriverum p. 346) Herculis Oetaei versus 661/62:

nec gemmiferas detrahit aures
lapis Eoa lectus in unda

rettulit ad *Phaed.* 391:

nec niveus lapis
deducat auris, Indici donum maris.

credidit enim *detrahit* (*HO* 661) inepte pro *deducit* positum esse. idem vituperavit Leo (p. 50 adn. 2), qui cum versus 1—740 genuinos aestimaret, hunc locum a Seneca esse scriptum ipse contendebat. atque quamquam *aures deducere* paulo melius dictum est quam *aures detrahere*, tamen hoc non ita aegre feremus, ut argumentum contra fabulae auctoritatem esse concedamus.

Plura Leo protulit (I p. 51 sqq.), sed numquam recte. quamquam iam Melzerus argumenta eius diluere studuit (p. 22), tamen cum paene nusquam satis accurate contradixerit, aliqua mihi erunt addenda. versus (*HO* 1048):

abrumpit scopulos Athos
Centauros obiter ferens

facile intellegi possunt, nam vertendum est: Der Athos reisst Felsen ab, auf denen er oben Centauren trägt. alii poetae similiter locuti sunt cf. Claudiani Gigantomach. Graec. v. 59:

Ἐγκέλαδος δ' οὐ λῆγε μάχης, ἀνὰ δ' ἥρπασε νῆσον
πρόῤῥιζον πολέεσσιν ἐρειδομένην ὀρέεσσι
v. 65 . . . . ἐν δέ τε νήσῳ
δένδρεα καὶ ποταμοὶ θῆρές τ'ἔσαν ὄρνιθές τε.

et Apollin. Sidon. c. IX, 88:

Nec Flegrae legis ampliata rura,
missi dum volitant per astra montes
Pindus, Pelion, Ossa, Olympus, Othrys
cum silvis, gregibus, feris, pruinis

---

[18]) Addere poteram in Aristophanis Vespis (1030—36) eosdem versus exstare, qui in Pace (752 sqq.) leguntur.

saxis, fontibus, oppidis levati
vibrantum spatiosiore dextra.

Ad *HO* 1293: inter infernos lacus
possessus atra nocte cum Fato steti

Leo non recte adnotavit: *Heinsius scribere voluit obsessus, recto iudicio, nam de homine male dici sensit quod apte de rebus dicitur.* Melzerus iam attulit

Troad. 562: nate, quis te nunc locus
fortuna quae possedit.

praeterea conferendi sunt loci hi: Stat. Theb. VII 550:

Tene ille, heu demens, semel intra moenia clausum
possessumque odiis Argiva in castra remittet?
X 676: iuvenis multo possessus numine.

carm. epigr. lat. 1243 v. 3: quem numquam cupidae possedit
gloria famae. —

HO 1347: agnosce mater — ora quid flectis retro
vultumque mergis?

Leo negavit *mergere* idem significare posse quod *abscondere.* hoc iam notum erat N. Heinsio (adversariorum libri IV p. 279) et ex lexicis satis superque constat.

HO 1392: surgat hinc illinc nemus
artusque nostros durus immittat Sinis:
sparsus[19]) silebo.

Leo aegre tulit participium perfectum *sparsus*, quod Melzerus, cum duo illi loci, quos attulit, in hanc rem omnino non quadrent, non feliciter defendit. videas autem ipse:

Troad. 344: Illo ex Achille, genere qui mundum suo
sparsus per omne caelitum regnum tenet[20]).

poeta dicit Achillem genere suo per omne regnum sparsum totum tenere mundum. Achillis corpus num Melzerus credidit multas in partes divisum esse? alter locus est *Med.* 625 sqq.:

ille vocali genitus Camena,
cuius ad chordas modulante plectro
restitit torrens, siluere venti,
cum[21] suo cantu volucris[22] relicto

---

[19]) *Sparsus* hoc loco idem est atque *in partes divisus.*

[20]) His de versibus iam Leo dixit (G. G. A. p. 10 adn. 1): *Troad. 344 ist überhaupt anders.*

[21]) *Tum* praebet E. [22]) *volucres* E.

adfuit tota comitante silva,
Thracios sparsus iacuit per agros,
at caput tristi fluitavit Hebro[23]:
contigit notam Styga Tartarumque,
non rediturus.

in sententia: *Thracios sparsus iacuit per agros* Orpheum esse subiectum Melzerus contendit, quod tamen prorsus incredibile est. neque enim Orpheus, dum canit, sparsus iacebat, neque, cum magnitudo eius tot cubitorum non esset, per agros iacere poterat, neque in partes divisus lyram modulabatur. atque cum Melzero si in eadem sententia sumus, contextus sermonis male interrumpitur. quid enim sibi volunt verba *at caput*, quae sine dubio ad antecedentia respiciunt? re vera autem in versu 630 subiectum est Hebrus casus nominativus, qui ex dativo in sequente versu exstante supplendus est. Seneca igitur narrat fluminis prope Orpheum partem substitisse, Hebri caput autem fluxisse. Similis locus in Hercule Oetaeo invenitur (cf. p. 18). itaque cum Melzeri propugnatio non prospera fuerit, alio modo huic participio perfecto *sparsus* excusatio paranda est. legas autem, quae infra (p. tert.) hac de re disputavi.

De versu 1556 quae Leo disseruit, cum optime a Melzero (p. 23) refutata sint, sufficit commemorare, non Leonem primum, sed Peiperum post versum 1556 lacunam statuisse.

Hf. 745 sqq. Theseus de iudicibus infernis locutus reges adhortatur, ne crudelitati assuescant. eandem hortationem prorsus inepte et κακοζήλως *HO* 1560—63 insertam esse idem Leo autumavit, cui oblocutus est Melzerus verbis his: *HO 1556 sq. autem aliquis est rerum contextus: inter inferorum iudices dehinc Hercules quoque erit; quanto igitur gravior erit post mortem regum et tyrannorum poena, praesertim cum illos potissimum ulcisci vivus solitus sit.* liceat mihi paulo accuratius hanc rem explicare. poeta dicit (v. 1550 sqq.): ‚nunc ad Acherontem vadit Hercules, quem Charonis cumba non solum, sed una cum multis vilibus umbris transferet. tamen Hercules inter viles umbras non manebit, sed inter iudices infernos sedebit

[23]) Hoc coniecit Gronovius, traditum est in E: *ad caput tristis fluitavit Hebri*, in A: *ad caput tractus fluvialis Hebri*.

facta discernens, feriens tyrannos.

proinde, o tyranni, iusti este ac ferrum tenete purum.' itaque haec hortatio non prorsus inepte, sed plane apte inserta est. cur autem auctor eam indiderit, infra (cf. tert. part.) dixi.

HO 1721 plane rustico obiurgio in Philoctetem invehitur his verbis: ,ignave iners inermis' ceterum compositus et mansuetus, sed transtulit hoc ex Thy. 176: ,iguave, iners, enervis'. hoc recte dictum esse Melzerus Leoni concessit, ego non item concedo. in versu 1717 Hercules Philoctetem flammas *poscit.* v. 1718 hortatur Philoctetem, ne segniter facem comprehendat. sed Philoctetes segnis est. hac re iratus exclamat Hercules: *quid dextra tremuit* et Philoctetae manum pavidam appellat (v. 1719). etiam arcum reposcit. atque cum Philoctetes etiam nunc cunctetur, periratum Herculem verba *ignave, iners, inermis* adhibere non mirum est. neque quae sequuntur sunt mansueti. dicit enim Hercules: *en nostros manus quae tendat arcus.* intellegenda autem haec verba sunt sic: haec tua manus, quae pavida et ignava est nec rogum incendere audet, nostrum nunc tenet arcum omnibus populis notum. itaque obiurgatio illa et cum antecedentibus et cum sequentibus verbis concinit. neque hoc loco neglegamus rem non ipsam in scaena agi, sed a nuntio narrari. ceterum vide Melzerum.

Totam vero scaenam quae est HO 1399 sqq. ex Hercule furente male expressam esse contendit Leo, qui enixe operam dedit, ut imitatoris manum detegeret. statuit autem hanc de furore scaenam inepto loco fabulae immissam esse, cum dixit: *de calamitate sua multum multumque declamavit et decantavit (sc. Hercules), de furore nihil audivimus; nec quae novissimo loco dicit magis sunt reliquis insana. subito docemur Alcmenae verbis furorem instare:*

1402: ei mihi, sensum quoque
excussit illi nimius impulsus dolor.

quod Melzerus contra dixit, nihili est. multis autem annis ante Melzerum excellenter de hoc loco disputavit vir doctissimus Birtius (l. s. p. 516). recte enim ostendit ea, quae Hercules novissimo loco loquatur, sine dubio magis esse reliquis insana. Plötzlich, inquit, schlägt Herkules statt der (vorangegangenen) Klagen einen kampflustigen Ton an, indem er

mit seiner Krankheit zu fechten verlangt

v. 1399: ubi morbus, ubinam est? estne adhuc aliquid mali
in orbe mecum? veniat, huc aliquis mihi
intendat arcus: nuda sufficiet manus.

Diese Herausforderung macht auf Alkmene mit Recht den Eindruck des Wahnsinns. hoc recte dictum esse pro certo habeo.

De versibus 1408 sqq. satis bene disseruit Melzerus (p. 24). nec vituperandus est locus 1415—1418.

Denique Birtius (p. 511) et Melzerus (l. s.) mihi probaverunt in Megara v. 1452 memorata offendi non posse. quae cum ita sint, iam in illa de Herculis furore scaena conexus verborum nusquam interrumpitur.

Neque verum est quod Leo ad versum 1406: *dolor iste furor est: Herculem solus domat* adscripsit: *huius enim coloris gratia omnis de furore scaena inserta est.* aeque perperam Melzerus dixit (p. 23): *denique ne id quidem spernendum est, quod Leo ipse adnotavit, ideo nostro loco Herculem furentem fingi, ut color ille magnificus (HO 1407) inseratur.* veram causam, quam in tertia huius libelli parte explanabo, viri docti non deprehenderunt.

Birtium offendit (p. 532), quod in prologo Hercules nimis se efferat et caelum expugnare in animo habeat. idem in Hercule priore fieri, ibi autem Herculem furore impulsum tale quid loqui. cur poeta Herculem ita insolescentem fecerit, ibidem (tert. p.) expositurus sum.

Ultimus Tachavus in Hercule Oetaeo sententias imitatione male expressas animadvertisse se opinatus est [24]. ac primum comparavit

HO 170: commoda cladibus
magnis magna patent; nil superest mali
iratum miserae vidimus Herculem

cum

Troad. 422: hic mihi malorum maximum fructum abstulit,
nihil timere.

dubitavit enim, num verba *commoda . . . patent* satis intellegi possint et cum antecedentibus cohaereant. negavit autem virgines, cum tempus futurum ignorent, dicere posse: *nil superest*

[24]) Zu Senecas Tragoedien, Philol. 46 [1887] p. 378 sqq.

mali. in verbis *commoda . . . patent* quicquam obscuri non video atque verto: Großes Unglück ist zugänglich für große Vorteile vel Großes Unglück ist oft von großen Vorteilen begleitet. v. 119—142 virgines Oechalides de clade sua conqueruntur; hanc cladem eis intulit Hercules, immanis ille heros (143—170). tamen unum commodum magnum hac clade nactae sunt: nullum malum superest, nam iratum Herculem viderunt, quo maius malum inveniri non potest (170—172). itaque verba *commoda . . . patent* cum antecedentibus conveniunt atque conspirant et virgines, cum Herculem iratum omnium maximum esse malum sciant, dicere possunt: *nil superest mali.* Herculis iram haud dubie perquam horribilem poeta finxit, sed, quod infra (p. tert.) demonstrare studui, non sine consilio ac iudicio hoc fecit.

Deinde Tachavus *HO* 107 sq. cum *Troad.* 150 contulit. hac quoque de re inspicias quae in altera parte dixi.

Postremo vir doctissimus composuit

HO 122: felices sequeris, mors, miseros fugis

cum

Troad. 1171: Mors votum meum,
infantibus violenta virginibus venis,
ubique properas, saeva: me solam times
vitasque, gladios inter ac tela et faces
quaesita tota nocte, cupientem fugis.

credidit enim Tachavus Hecubam, cum diu mortem quaesivisset, verba *felices sequeris, mors, miseros fugis* sane dicere potuisse, sed virgines Oechalides, quae ante urbem expugnatam nondum miserae fuissent, inepte sic loqui. hae sane argutiae ac spinae sunt. fortasse autem, dum Hercules Oechaliam obsidet, virgines tot calamitates perpessae sunt, ut iam paulo ante urbem penitus expugnatam miserae essent quaererentque mortem. quis ita ut Tachavus cum poeta aget? nusquam ergo in Hercule Oetaeo versus stolida imitatione ex ceteris tragoediis expressi inveniuntur.

Consideremus nunc quo iure Herculis Oetaei scriptorem stultum atque ineptum hominem esse dixerint. primus D. Heinsius ineptias deprehendisse sibi visus est. adnotavit enim ad

HO 387: quicquid in nobis fuit

olim petitum cecidit aut pariter labat.
aetas citato senior eripuit gradu
materque multum rapuit ex illo mihi [25]).

inepte redundat locus et pueriliter luxuriat (apud Scriv. p. 347). at equidem tantam luxuriam non video. quod in eadem sententia et *eripuit* et *rapuit* invenimus, non ab usu poetico abhorret et rerum progressus est planus neque ullam praebet offensionem. —

D. Heinsius si his temporibus vixisset, versus 1792, 1890, 1697 sq., cum iam diu emendati sint, non reprehendisset (cf. p. 345). et quia eidem viro doctissimo codex Florentinus nondum notus erat, etiam in versibus 761 et 1599 haerere potuit (p. 347 et 344). nec Richterus tunc, cum libellum quo de Seneca tragoediarum auctore agitur scripsit, Etruscum satis novit (p. 26). ipse quoque in versu 1595: *passus an pondus titubavit Atlas?* eadem de causa ac D. Heinsius offendit. credidit enim Florentinum praebere *lassus*, editionem principem *passus*. sed cum neque *lassus* neque *passus* ei placuisset, *fassus* scribi voluit. opinionem suam ut defenderet, statuere debuit active positum esse *titubandi* verbum pro quatiendo. haec igitur coniectura prorsus reicienda est et nuper Richterus ipse *passus* in textum recepit, quod sine dubio satis apte dictum est.

HO 424: causa bellandi est amor.
totiens timebit Herculi natam parens
quotiens negavit, hostis est quotiens socer
fieri recusat: si gener non fit [26]), ferit.

haec verba D. Heinsio nauseam moverunt (p. 347), sed quid vituperandum sit, non dixit. quam ob rem de hoc loco verba facere nolim.

HO 644: caespes Tyrio mollior ostro
solet impavidos ducere somnos

D. Heinsius caespitem somnum ducere posse negavit (p. 346), sed iniuria; nam *somnos ducere* non solum *dormire* significat (hoc modo loquitur Vergilius Aen. IV 560: *nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos*), sed etiam *somnos afferre* vel *somnos inducere.*

[25]) Sic legendum esse mihi probavit M. Muellerus (in Senecae tragoedias quaestiones criticae p. 43 sq.).

[26]) *Fit* legimus ex coniectura N. Heinsii (l. s. p. 444); codices praebent *est.*

cf. Horat. epod. 14, 3:

Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
arente fauce traxerim

et Ovid. Metam. II 735:

ut teres in dextra, qua somnos ducit et arcet,
virga sit.

itaque poeta non dicit caespitem dormire, sed sopire.

Post D. Heinsium Swoboda nonnulla invenit quae vituperaret [27]. huius viri doctissimi opus ipsum, quod ut ex bibliothecis mutuarer mihi non contigit, me non inspexisse confiteor. sed Melzerus Swobodae argumenta, quae diluere studuit, attulit p. 26. ac pauca Melzeri verbis mihi addenda sunt. Swoboda aegre tulit (p. 335), quod Hercules *HO* 80 sqq. stulta et ridicula promittat. simili ex causa haesit in versibus 1741 sqq. (p. 348). poetam autem consulto Herculem adeo intumescentem induxisse infra studui probare (p. tert.).

Aliud argumentum est hoc: *HO* 907 sq. ab *Hf* 1341 sq., cum hic Athenis, illic Cinyphio fonte Hercules Megarae et liberorum caedem expiasse feratur, ita dissentit, ut unus utriusque fabulae auctor statui non possit (p. 343). iam Melzerus etiam in ceteris tragoediis tales sententias inter se pugnantes inveniri conatus est demonstrare. sed optimum exemplum, quod vidit A. Pais (Il teatro di Seneca p. 83), est hoc: Iocasta dicit

Oed. 1034: hoc iacet f e r r o meus
coniunx

et similiter Oedipus loquitur

Phoen. 105: e n s e m parenti trade, sed notum nece
e n s e m paterna.

iam legas Oedipodis verba

Oed. 768: redit memoria tenue per vestigium
cecidisse nostri s t i p i t i s pulsu obvium
datumque Diti e. q. s.

nunc ense, nunc stipite Laium a filio suo interfectum esse poeta dicit. nonnumquam igitur Seneca cum se ipso discrepat.

Versus vero *HO* 1036—1099 ab homine insulsissimo et absurdissimo scriptos esse Goebelius praepropere contendit

[27]) L. A. Senecas Tragoedien übersetzt und erläutert, Wien 1830, III p. 335 sqq.

(l. s. p. 738 sq.). cuius argumenta cum iam Melzerus maximam in partem infirmaverit (p. 27), pauca adiungere verba sufficit. vir doctissimus in eo offendit, quod poeta Bistones Hebrum accolentes (v. 1042) et Getas in Rhodope habitantes (v. 1032, 1092) fecit. item credidit (p. 743) *HO* 161 Parthos prorsus inepte commemorari, qua re simul contra temporum regionumque rationem peccetur [28]). vir doctissimus si locos, quos Leo (I p. 202 sq.), Melzerus (p. 28), F. Harderus [29]) (p. 451) attulerunt, inspicere potuisset, talem neglegentiam a Seneca alienam esse non dixisset.

HO 1040: et dum fluminibus mora est,
defecisse putant Getae
Hebrum Bistones ultimi.

Goebelius adnotavit: *quid? quod Bistones Hebrum defecisse putant! nimirum, si totus fluvius tamquam persona stetit, non aliter id fieri potuit, nisi ut continuum flumen staret a fonte usque ad ostia, nec animo concipi potest usquam ita aquas discissas fuisse, ut altera pars moraretur, altera flueret, sive ut usquam aqua deficeret, intermitteret.* contra monendum est poetam omnino non dicere totum flumen stetisse. undae, quae prope Orpheum fluunt, cum morentur, fieri non potest, quin flumen paulatim ex ostiis deficiat (cf. Melzerum p. 27). ac si tibi mirum videtur alteram fluminis partem subsistere, alteram fluere, revoco te ad Medeae locum, quem supra (p. 11/12) tractavi.

Versum *HO* 1059: *et serpens latebras fugit* si ponamus serpentes latebras raro relinquere solere, facile intellegi posse Melzerus recte dixit (p. 27). sed cum exempla non addidit, affero haec:

Oed. 152: perdidit pestem latebrosa [30]) serpens.

Med. 684: tracta magicis cantibus
squamifera latebris turba desertis adest.

Stat. Theb. II 410: dixerat. ast illi tacito sub pectore dudum
ignea corda fremunt, iacto velut aspera saxo
comminus erigitur serpens, cui subter inanes
longa sitis latebras totumque agitata per artus

[28]) Idem iam D. Heinsius vituperavit (apud Scr. p. 348).

[29]) Bemerkungen zu den Tragödien des Seneka. Aus der Festschrift Johannes Vahlen zum 70. Geburtstag gewidmet.

[30]) Significationem huius adiectivi exposuit Richterus (de S. tr. a. p. 28).

convocat in fauces et squamea colla venenum.

Ad *HO* 1088: *cantus praemia perdidit* Goebelius indignatus quaesivit (p. 740): *quid faciens?* at apertissime poeta dixit: *nec credens* e. q. s. (1086). quia enim Orpheus non credidit Eurydicem sequi, retro se vertit, quo factum est, ut coniugem perderet. in versu 1079 *sic*, non *sed*, in v. 1090 *tunc*, non *tum* traditum est. atque *haec* pronomen demonstrativum in versu 1092 optime positum est, quod iniuria negavit Goebelius. idem versus 1036—1099 spurios esse eo quoque confirmari putavit, quod eadem de Orpheo narratio et *Hf.* 569 sqq. et *Med.* 625 sqq. legitur. hac eadem re pro Seneca auctore pugnari Melzerus fortasse recte dixit (p. 28). chorum *HO* 163—172 ineptias proferre Goebelius contendit (p. 743), sed argumentis nullis probavit. itaque hoc omittamus.

Herculis Oetaei auctorem prave et perverse cogitantem hominem fuisse etiam Leo studuit ostendere (I p. 53 sq.). atque ut poetam magnopere ineptire satis demonstraret, multa collegit, sed omnia falso. ego, cum iam Melzerus (p. 28 sq.) nonnulla recte contra dixerit, paucis rem absolvere potero.

HO 842: factum est scelus,
natum reposcit Iuppiter, Iuno aemulum.
reddendus orbi est; quod potest reddi exhibe[31]:
eat per artus ensis exactus meos.

Leo adnotavit: *si superi Herculem reposcunt, non est Deianirae scelus quo occidit; quod orbi illum reddendum putat non est cur se ipsa interficiat.* hunc locum Leo non intellexit. Steinbergerus (l. s. p. 192) optime docuit *reposcere* hic idem esse ac *morti eripere* vel *vitae reddere*, non autem *ad superos vocare. reddere* idem significare posse quod *dare* satis notum est[32]). Deianirae hac in scena inconstantiam, qua ad ferrum, quod bis capessit bisque improbat, ad extremum revolvitur (v. 868), non miram esse Melzerus exemplis ex ceteris tragoediis collectis demonstravit (p. 29). praeterea conferas quae diximus in altera parte.

A poetis numquam Herculei ensis mentionem fieri Leo

---

[31]) *Redde* praebet E, sed *reddi* legendum esse mihi probavit Birtius (l. s. p. 540).
[32]) Cf. Tachav. Philol. 48 p. 742 et p. 747 et Melzer. p. 29.

perperam putavit. Steinbergerus (l. s. p. 193) vidit Aristophanis locum, ran. 664 καὶ τὸ ξίφος γ' ἐσπᾶτο μαίνεσθαι δοκῶν (sc. Ἡρακλῆς). Harderus attulit (l. s. p. 456) Horatii versum c. IV 4, 61: *non hydra secto corpore firmior.* quin etiam in Herculis furentis versu 1229 Herculeus ensis commemoratur. Bentleius [33]) autem et Withofius [34]), quos Leo (G. G. A. p. 11 adn. 1) et alii secuti sunt, pro voce *ensem* coniecerunt *arcum.* contra Melzerus (p. 4 adn. 2 et p. 29) et Harderus (l. s. p. 455 sq.) *ensem* hoc loco retinendum esse statuerunt. quae res utut se habet, certum est Herculis alterius auctorem ense Herculeo commemorato non peccavisse.

Deianira mortis consilium his verbis confirmat (922):

frustra tenetur ille qui statuit mori,
proinde lucem fugere decretum est mihi,
vixit satis quicumque cum Alcide occidit.

quo de loco Leo haec dixit: *debuit: proinde frustra me tenetis. dixit: frustra tenetur qui mori decrevit, proinde mori decrevi; frustra tenetur qui statuit mori, proinde mori statui.* sine dubio aliter haec verba intellegenda sunt. Deianira dicit v. 922: 'frustra mihi quae mori statui mortem dissuades, proinde moriendi mihi consilium non labefactatum est'. quae interpretatio si tibi non placet, cum Melzero (p. 29) versum 924 ante 923 ponas.

HO 1268: quis dies fletum Herculis,
quae terra vidit? siccus aerumnas tuli.
tibi illa virtus, quae tot elisit mala,
tibi cessit uni; prima et ante omnis mihi
fletum abstulisti: durior saxo horrido
et chalybe voltus et vaga Symphlegade
rictus meos infregit et lacrimam expulit.

Leo adnotavit: *suum scilicet vultum superari non potuisse nisi alio vultu etiam duriore putidus sensus est; quo quantopere ineptiat scies si praecedentem sermonis partem perlegeris. nempe iterum iterumque questus est quod pestem quae fixa medullis lateat corpusque intus depopuletur videre nequeat multumque divinavit serpensne sit an malum aliquod et Her-*

[33]) Ann. Fleck. 125 p. 483.

[34]) Praemetium crucium criticarum praecipue ex Seneca tragico p. 121.

culi ignotum. iam eius vultu rictus suos infractos esse nuntiat. Melzerus perperam concessit (p. 29) his versibus putidum sensum inesse. rectissime Steinbergerus (l. s. p. 193) vidit Herculem non de alio, sed de suo ipsius vultu cogitare. Leo fortasse hunc in errorem non cecidisset, si in versu 1274 pro *meos* scriberetur *suos*, quod pronomen sane paulo melius in sensum quadrat. sed id, quod nunc in codicibus exstat, cum rictus illi et ad Herculeum vultum et ad Herculem ipsum pertineant, ego facile feram, Birtius minus, qui coniecit: *rictus et os infregit et lacrimam expulit.*

HO 1472 HERC.: Habet, peractum est, fata se nostra explicant;
lux ista summa est: quercus hanc sortem mihi
fatidica quondam dederat et Parnassio
Cirrhaea quatiens templa mugitu specus[35]):
'dextra perempti victor, Alcide, viri
olim iacebis; hic tibi emenso freta
terrasque et umbras finis extremus datur'.

in comparationem vocavit Leo Sophoclis locum (Trach. 1159):

ἐμοὶ γὰρ ἦν πρόφαντον ἐκ πατρὸς πάλαι,
ἀνδρῶν πνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο,
ἀλλ' ὅστις Ἅιδου φθίμενος οἰκήτωρ πέλοι.
ὅδ' οὖν ὁ θὴρ Κένταυρος, ὡς τὸ θεῖον ἦν
πρόφαντον, οὕτω ζῶντά μ' ἔκτεινεν θανών.
φανῶ δ' ἐγὼ τούτοισι συμβαίνοντ' ἴσα
μαντεῖα καινά, τοῖς πάλαι ξυνήγορα,
ἃ τῶν ὀρείων καὶ χαμαικοιτῶν ἐγὼ
Σελλῶν ἐσελθὼν ἄλσος εἰσεγραψάμην
πρὸς τῆς πατρῴας καὶ πολυγλώσσου δρυός.

contendit autem vir doctissimus poetam Romanum duo oracula a Sophocle commemorata tam claude (sic Leo) et oblique inter se coniunxisse, ut de una tantum sorte loqui videatur[36]). argumenta, quae Melzerus protulit (p. 19/20), cum ad rem ipsam vix spectent, non nisi ambages sunt. facile autem Leonis verba refutari possunt, nam poeta Romanus satis aperte

[35]) Traditum est *nemus. specus* coniecit primus N. Heinsius (l. s. p. 286), deinde Wilamowitzius (cf. Leo I p. 55 adn. 5).
[36]) Si Leo recte dixisset, non multum valeret. talia enim Senecam nonnumquam sibi indulsisse demonstravit Harderus (Festschrift Johannes Vahlen p. 451).

de duobus oraculis cogitat. dicit enim: *quercus hanc sortem mihi dederat et specus (sc. hanc sortem mihi dederat). hanc sortem* singularem numerum poeta pro plurali posuit, ut magis fortiter et efficaciter loqueretur. et alterum oraculum est hoc (1476): *dextra perempti victor, Alcide, viri olim iacebis,* alterum (1477):

hic tibi emenso freta
terrasque et umbras finis extremus datur.

verba *finis extremus* non de morte, quod Melzerus voluit (p. 20), sed, ut apud Sophoclem, de fine migrandi et laborandi intellegenda sunt. differentia, quae in eo agnoscitur, quod Herculi oraculum alterum datum esse a Iove Sophocles dicit, ab Apolline autem poeta Romanus narrat, Leonis opinionem confirmare non potest. nam poeta aut ita rem sibi finxit, ut Hercules Iovis oraculum ore Apollinis acceperit (cf. Leo I p. 55), aut, quod Seneca saepius sibi concedebat, ab exemplo suo recessit. praeterea monendum mihi videtur cum Herculis fama notissima esset breviter loqui poetae Romano licuisse.

HO 1595: Heu quid hoc? mundus sonat. ecce maeret,
maeret Alciden pater; an deorum
clamor, an vox est timidae novercae
Hercule et viso fugit astra Iuno?
passus an pondus titubavit Atlas?
an magis diri tremuere manes
Herculem et visum canis inferorum
fugit abruptis trepidus catenis?

Leo adnotavit: *mundus sonuit: inde coniecturas capit chorus; at ut conicere possit manes trepidare Cerberoque aufugiente tumultum exoriri, fragorem imo de fundo audisse debet, ut Hf.* 521:

cur mugit solum?
infernus imo sonuit e fundo fragor.

hunc Herculis furentis versum fortasse aptissime allatum esse dices, sed conferas, quid de eodem loco idem Leo iudicaverit (II p. 375). *hoc,* inquit, *recte dictum esset, si ex inferis nunc demum Hercules emergeret; at per viam publicam ad Thebas accedit.* itaque in Hercule priore idem factum est quod in Hercule altero. sed cum illum versum vir doctissimus deleret, Herculis Oetaei locum auctori opprobrio dedit. adde quod Leo plane perperam hunc locum tentavit, nam mundum non caelum,

sed rerum universitatem significare Melzerus recte vidit[37]) (p. 29).

De cantico *HO* 1518 sqq. Leo dixit (G. G. A. p. 9): Der Schluß ist mißglückt, wie auch einiges im Liede selbst; argumenta autem vir doctissimus non addidit.

Denique Birtius in Hercule Oetaeo res insulsas deprehendisse sibi visus est.

HO 278 DEI.: Iole meis captiva germanos dabit
natis (Iovisque fiet ex famula nurus)?
non flamma cursus pariter et torrens feret
et ursa pontum sicca caeruleum bibet.

vir doctissimus adnotavit (p. 535): Hilflos verunglückt bei aller Gesuchtheit ist z. B. folgender Vergleich (278—281). In hohem Masse beeinträchtigt wird derselbe überdies durch die zwischengestellten Worte, die in Parenthese stehen. haec recte dixisset Birtius, si versus 280 sic legendus esset. neque enim dubium mihi videtur, quin nonnulli codices deteriores meliorem lectionem praebeant hanc:

num flamma cursus pariter et torrens feret[38])
et ursa pontem sicca caeruleum bibet?

dicit igitur Deianira: 'prius flamma et torrens pariter cursus feret et ursa pontum bibet quam patiar Iolam Herculi natos parere et Iovis nurum fieri.'

HO 1452: Megara appellatur clara. quod adiectivum non satis apte positum esse Birtius suo iure contendit (p. 511). similem locum inveni in *Troad.* 1112: *signa clari corporis*[39]). fortasse cum N. Heinsio (l. s. p. 285) scribendum est *cara.*

Itaque viri docti Herculis Oetaei auctorem esse hominem ineptum ac stolidum iniuria dixerunt.

Aliud est, quod Herculis Oetaei scriptorem esse linguae inopem et scribendi socordem poetam contenderunt[40]). iam

[37]) Nonnumquam *mundus* idem est atque *inferi* cf. Macrob. I 16, 16—18, Festum (ed. Thewrewk) I p. 120 et p. 146—149.

[38]) Forma *feret* et in E et in A tradita retinenda est. solent enim nonnulli poetae, in quorum numero etiam Seneca est, verbi n. singularem usurpare, si ullo modo tolerari potest. exempla huius rei postea fortasse occasione data afferam.

[39]) Similis non similis est locus *Phaed.* 1247: *huc, huc reliquias vehite caris corporis.*

[40]) D. Heinsius (ap. Scriv. p. 347), Goebelius (l. s. p. 740), Richterus (d. S. tr. a. p. 30), Leo (I p. 57), Birtius (p. 535, 537 sq.). in eo quod Deianira Iolam novies captivam vel paelicem appellat (v. 278—391) Birtium haerere non debuisse probavit Melzerus (p. 30).

Leo, qui ipse concessit (I p. 57) Senecam in tragoediis non semper curiosissimum variandi sermonis fuisse, ceteris ex fabulis pauca exempla huc pertinentia collegit. multa autem congessit Melzerus (p. 30). quae quamquam sufficiunt nonnulla mihi liceat addere. in Troadibus inveni: v. 610 timent, 612 timere, 618 timet, 626 timor, 632 timorem, 642 timor; *Oed.:* 519 regis, 520 reges, 524 rege, 525 regi, regno; *Hf.:* 1192 manus, 1196 manus, 1203 manum, 1211 manum, 1236 manus, 1260 manus (semper in trimetri fine), praeterea 1193 manus, 1244 manibus, 1255 manibus; in *Thyeste:* 434 timoris, 435 timendum, timeo, 447 timentur, 449 timere, 468 timemur, 473 timendum, 482 times, 483 timori, 486 timendum, times et 414 regni, 425 regno, 432 regni, 442 regnare, 444 regnum, 470 regnum, regno, 472 regnes. quod *non* in versibus 410, 415, 441, 451, 455, 458, 459, 463, 468, 489 et *nec* in vss. 457, 460, 463, 465, 466, 471, 472 legitur, urgere nolim. sed praeterea conferendi sunt versus hi: 529 regnum, 531 regiam, 534 regnum, 540 regna, 542 regni et 564 timuit, 572 timor, 580 timuere, 590 timuit, 595 timuere et 889 sat, 890 satis, 895 sat, 899 satis, 900 satisque, 913 satur. fortasse mihi concedes Thyestis auctorem copiosiorem poetam scriptore Herculis Oetaei non fuisse, praesertim cum ex eadem fabula iam Melzerus alias voces saepe iteratas collegerit.

Neque vero repetitis tantum dictionibus incuriosam elocutionem offendere, sed magis etiam sententiis neglegenter constructis sive vitiose pronuntiatis contendit Leo (I p. 57). sed omnia argumenta quae protulit aut a Melzero (p. 30/31) aut nunc ab ipso (G. G. A. p. 10 adn. 1) refutata sunt[41]. itaque eis, qui Herculem Oetaeum a Seneca abiudicaverunt, iam multa argumenta erepta sunt.

Iam vero metricas rationes inter hanc ceterasque fabulas admodum aequales esse viri docti, qui hac in re versati sunt, omnes concesserunt. nihilo setius nonnulla a Senecae arte aliena in Hercule altero inveniri dixerunt. ac Leo protulit hoc (I p. 59): *itaque in summa aequalitate modo neglectam modo duriorem in Hercule Oetaeo synaloepham deprehendimus.*

[41]) Ad *HO* 1604 *quem* *t u l i t* *Poeans* etiam comparandus est versus *Hf.* 494: vel ex coacta nobilem partum f e r a m. praeterea conferas infra p. 54/55.

Schmidtius[42]) et Leo (I p. 58) iam satis demonstrarunt in reliquis Herculis Oetaei senariorum locis eodem modo quo in Annaeanis fabulis verba verbis coagmentari. de synaloepha quae in fine versuum admittitur plura verba mihi facienda sunt. scilicet in trimetrorum exitu omnium fabularum monosyllabum cum antecedente vocabulo nusquam coalescit, nisi quod aphaeresis vocis *est* saepius invenitur. conglutinatur autem *est* nusquam cum antecedente monosyllabo, contra cum bisyllabo in *Hf.* sexies (55, 383, 952, 1172, 1191, 1268), in *Troad.* quater (298, 787, 909, 997), in *Phoen.* octies (55, 79, 288, 368, 378, 454, 598, 629), in *Med.* sexies (230, 448, 896, 921, 976, 1004), in *Phaed.* sexies (358, 435, 636, 697, 711, 1239), in *Oed.* ter (274, 834, 865), in *Agam.* quinquies (109, 152, 154, 426, 924), in *Thy.* quinquies (205, 257, 449, 899, 906), in *HO* octies (59, 236, 405, 824, 1242, 1258, 1806, 1820), in *Octav.* quater (108, 458, 604, 825). cum trisyllabo copulatur *est* *Troad.* 911, *Med.* 25, *Thy.* 718, 1013, *HO* 882, 940, cum quadrisyllabo verbo *HO* 1979, Oct. 442, 496, cum quinque syllabarum voce *Oed.* 515.

Porro bisyllabum in senarii fine positum nusquam cum antecedente vocabulo coalescit, contra trisyllabum, de quo infra (p. 27 sq.) paulo fusius loquar, creberrime. etiam verbum quadrisyllabum coalescit *Med.* 407, 471, *Oed.* 823, *Agam.* 787; quinque syllabarum vocabulum *Phaed.* 580, 955, *Thy.* 911; vox sex e syllabis composita *Phoen.* 133, 165, *Oct.* 446, 541, 870.

Monosyllabum in trimetri exitu invenitur *Hf.* 1162, *Troad.* 42, 56, 475, *Phoen.* 205, 234, 495, *Med.* 125, 692, *Phaed.* 713, *Oed.* 938, 1016, *HO* 870, 939, 1206, 1351, 1354, 1826, 1858[43]). monosyllabum in versus fine non ferri nisi antecedente monosyllabo dixit Leo (I p. 59). itaque vituperavit Herculis Oetaei poetam qui scripserit v. 939: *para laborem. scelera quae quisquam ausus est.* neque enim animadvertit vir doctissimus Medeae versum 692: *caelo petam venena. iam iam*[44]) *tempus est.*

---

[42]) De emendandarum Senecae tragoediis rationibus prosodiacis et metricis p. 17 sqq.

[43]) Non omnia exempla deprehenderunt Schmidt p. 39 et Leo I p. 59.

[44]) In E *iam* semel exstat, in A legitur *iam nunc.* Gronovium autem recte *iam iam* scripsisse eo apparet, quod in E saepius ea vox, quam bis positam esse postulamus, semel tantum tradita est. legimus

quem si vidisset, non delevisset (I p. VII) Herculis furentis trimetrum (1162):

quis tanta Thebis scelera moliri ausus est,

praesertim cum hic illi Herculis Oetaei senario (939) similis sit. ter igitur his in fabulis monosyllabo non coalescenti antecedit bisyllabum.

Porro Leo reprehendit quod auctor *iratae sat est* (*HO* 1354) et *tanto sat est* (*HO* 1558) scribere maluit quam *iratae est satis* et *tanto est satis* (I p. 60). sed legat *Oed.* 938: *pensabis ictu? moreris; hoc patri sat est.*

Bisyllabum non coalescens saepissime in trimetri fine invenies, item trisyllabum. verbum quadrisyllabum non coalescens exstat in *Hf.* quater decies (11, 92, 218, 232, 244, 325, 408, 484, 516, 626, 758, 908, 915, 997), in *Troad.* ter decies (60, 183, 195, 222, 280, 325, 558, 652, 809, 901, 1069, 1080, 1106), in *Phoen.* sexies (129, 191, 206, 448, 550, 566), in *Med.* undecies (14, 33, 39, 266, 268, 456, 512, 709, 713, 718, 731), in *Phaed.* quater (384. 1023, 1225, 1229), in *Oed.* quater (768, 812, 847, 1048), in *Agam.* sexies (137, 186, 566, 797, 928, 935), in *Thy.* novies (115, 195, 679, 707, 745, 1012, 1039, 1055, 1060), in *HO* undecies (733, 804, 1135, 1227, 1237, 1273, 1380, 1389 1474, 1485, 1650), in *Oct.* bis (835, 837). Richterus (de S. tr. a. p. 18) vidit Herculis Oetaei poetam a lege qua cavetur, ne in trimetrorum exitu vocem quadrisyllabam praecedat iambica, sexies recessisse (804, 1273, 1380, 1389, 1485, 1650). sed Richterus ipse concessit quinque exemplis (804, 1273, 1380, 1485, 1650) excusationem a nomine proprio paratam esse. idem vidit legem illam etiam in Phoenissis bis (191, 206)[45]) violatam esse, ubi nomen proprium veniam non praebet. fortasse ex Agamemnone quoque versus 797 huc referri potest:

AGAM.: secura vive. CASS. mihi mori est securitas.

nam *mori est*, quia *est* cum *mori* coalescit, tamquam una vox est. differentia igitur non exstat. quinque syllabarum verbum in trimetri fine positum non coalescit *Hf.* 246, *Troad.* 861. *Phoen.* 223, *Med.* 215, *Phaed.* 229, 271, 852, *Oed.* 395. *Agam.* 660,

---

enim *Troad.* 191 *ite* pro *ite, ite*, 625 *hac* pro *hac hac*, 627 *ite* pro *ite, ite*, 1141 *iam* pro *iam iam*, *HO* 753 *ille* pro *ille, ille*, 1234 *quid* pro *quid, quid*, 1506 *quam* pro *quamquam* 1930 *fallor* pro *fallor, fallor*.

[45]) pro *novos* in E traditum est *non vos*.

Thy. 23, 424, *HO* 21, 1642. vocabulum non coalescens, cui sex syllabae sunt, invenitur *Phaed.* 1157.

Restant cretici in senarii exitu positi. Senecae in tragoediis fere legitimum esse creticos hoc loco exstantes cum antecedente vocabulo coalescere Schmidtius recte vidit (p. 37 sq.). inter centenos trimetros clauduntur creticis coalescentibus in *Hf.* 12, non coalescentibus 2, 1, in *Troad. coalesc.* 10, non c. 1, 19, in *Phoen.* c. 10, non c. 1, 95, in *Med.* c. 12, 5, non c. 2, 29, in *Phaed.* c. 10, 2, non c. 1, 05, in *Oed.* c. 9, 27, non c. 0, 67, in *Ag.* c. 8, 36, non c. 1, 46, *Thy.* c. 11, non c. 1, 94, in *HO* c. 9, 6 non c. 1, 14, in *Oct.* c. 7, 7 non c. 0, 52. Leo numeros semper fere paulo a meis recedentes computavit (I p. 58). qui vir doctissimus creticorum coalescentium usum in Octavia rariorem esse quamquam recte dixit, tamen hac in fabula plures inveniuntur quam ipse in Agamemnone exstare sibi persuaserat. idem creticos non coalescentes in Octavia prorsus evitatos esse contendit. sed scriptos videmus tales v. 237, 457, 468. Leo cum solum versum 457 vidisset, perperam eum delevit (cf. Herm. 10 p. 439). atque ut opinionem suam nobis probaret aliis argumentis allatis hunc versum inepte intercalatum esse demonstrare studuit. *Plane idem*, inquit, *hoc versu Nero dicit atque sequenti et synaloephae locus non est in personis mutandis.* versus Octaviae 456—458 sunt hi:

NER. ferrum tuetur principem. SEN. melius fides.
NER. decet timeri Caesarem. SEN. at plus diligi.
NER. metuant necesse est. SEN. quicquid exprimitur grave est.

qui versus exstant in colloquio, quod inter Neronem et Senecam habetur. Seneca ut imperator moderate regnet postulat, contra Nero vi uti mavult. cum Senecae reclamatione Caesaris animus magnopere concitatus sit, imperator ira impulsus bis idem dicere facile potest. praecipue autem quae iam dixit iterat, ut sua plurimum interesse timeri quam maxime manifestet declaretque omnino non se curare amorem populi. accedit quod Nero non plane idem his duobus versibus dicit, nam gradatio inest in verbis: d e c e t timeri . . . metuant n e c e s s e e s t. hoc vidit Fr. Ladek (l. s. p. 102). praeterea conferas quae Richterus editor adnotavit. ceterum hoc loco in personis mutandis synaloepham admittendam esse equidem censeo. exstat

enim talis verborum conglutinatio etiam in Agamemnonis versu 794:

AGA. credis videre te Ilium? CAS. et Priamum simul.

huic versui a Graeco nomine excusationem paratam esse, Octaviae loco a Latino non item Leo dixit (I p. 59 adn. 8). sed haec inter nomen Latinum et Graecum differentia minima est. neque Fr. Ladek (l. s. p. 102) neque Lucianus Muellerus (ann. philol. 89, p. 423) hoc discrimen statuere voluerunt. nescio igitur, cur Octaviae versus in codicibus bene traditus, si Agamemnonis genuinus est, spurius aestimandus sit. itaque cum Octaviae scriptor ter (237, 457, 468) trimetrum cretico non coalescente terminaverit, nulla hac in re differentia exstat.

Sed in ceteris Senecae fabulis non coalescenti cretico semper syllaba longa antecedit, contra in Octavia semel (v. 393 *genus impium*) et in Hercule Oetaeo ter (v. 406 *caret Hercule*, 757 *ferar obruta*, 1847 *daret Hercules*[46]) eadem sede bisyllabum bibreve invenimus. parva igitur differentia artis sane adest. atque quamquam concedo hanc rem momenti alicuius esse, tamen, si nihil aliud accedit, minimum valere existimo. ei, qui hanc ob causam Herculem alterum Senecae abiudicari vult, etiam Agamemno, cum non nisi in hac fabula et in Octavia synaloepha in personis mutandis admissa sit, insitiva ducenda est. neque putabit idem Phoenissas genuinam tragoediam esse, nam sex syllabarum vox in senarii fine posita coalescit bis tantum in Phoenissis et ter in Octavia (cf. p. 25). itaque illo argumento uti iam non licet.

Cretico non coalescenti in Hercule Oetaeo nusquam antecedere vocabulum, cui plus tres morae sint, contra idem in reliquis tragoediis saepissime admitti, contendit Birtius (p. 559 sq.); itaque emendandum esse censuit versum *HO* 899: *nemo nocens sibi ipse poenas abrogat*, praesertim cum sensus ineptissimus esset. vir doctissimus cum tradita verba intellegi non possint Gronovium totum versum genuinum esse falso credidisse suo iure dixit[48]). ipse autem coniecit: *nemo innocens sibi ipse si poenam abrogat.* quae verba, quamvis bonum sensum

[46]) Exempla haec collegit Schmidtius (l. s. p. 53).
[47]) *Inrogat* legimus in A.
[48]) Gronovii sententiam iniuria defendit Tachavus, Philol. 48 p. 749.

praebeant, tamen cum nimis abhorreant a tradita lectione, mihi non satis placent. aliam autem emendandi rationem ingrediendam esse puto. Deianiram Nessi fraude deceptam Herculem necare Birtius ipse vidit (p. 511 sq.). quod facinus morte sua expiare constituit, ut se non nefariam aut perditam feminam, sed dolo captam esse indicet. facinorosi hominis non esse poenas sibi adrogare Birtius recte dixit. itaque Deianira, si poenas sibi vindicat, non scelerata femina est, sed, ut magistri mei verbis utar, eine tragische Heldin. quam ob rem Hyllo dicenti: *si te ipsa damnas, scelere te misera arguis* Deianira respondet:

nemo nocens[49]) sibi ipse poenas adrogat[50]).

adrogare idem fere significare quod *vindicare* notum est. itaque cretico *adrogat* antecedit tradita vox *poenas*, cui quattuor morae sunt. iam legas *HO* 15:

quod terra genuit, pontus aer inferi.

aer habet quattuor moras. atque ne dicas verbum *aer* (= ἀήρ), cum accentum in altera syllaba habeat, facilius ferri posse, demonstrabo Senecae temporibus hoc vocabulum in priore syllaba acutum esse. aer efficit spondeum. quodsi verba spondiaca in secundo vel tertio vel quarto trimetri pede posita sunt, ictus rhythmicos et verborum accentus inter se consentire necesse est (cf. p. 36). iam intuearis

Hf. 677: sic pronus aer urget atque avidum chaos
Hf. 704: immotus aer haeret et pigro sedet
Phaed. 474: solis et aer pervius ventis erit.

haec exempla si cui non sufficiunt, afferre possum hexametros dactylicos, quorum in fine eadem vox exstat[51]). conferas Ovid. Met. VI 47; Lucan. I 646; Stat. Theb. II 3; VI 399; VI 617; VIII 413; XII 248. etiam verbum *aether* = αἰθήρ[52]) et nomina propria velut *Theseus*, *Peleus* Romani in prima syllaba acuebant.

Quod Birtius *HO* 445 pro *propius exigat* scripsit *poenas exigat* (p. 514), cum ipse postea hanc coniecturam reiciendam esse

---

[49]) *Nocens* hoc loco eum significat, qui scelestus atque improbus est.

[50]) Richterus per errorem scripsit in E traditum esse *arrogat*.

[51]) Etiam in hexametri exitu verborum accentus cum versus numero concinere notum est.

[52]) Cf. *Hf.* 959; *Phaed.* 524; *Oed.* 220; *Agam.* 727; *HO* 52, 1764.

dixerit (p. 559), mihi auxilio vocare non possum. concedendum autem est in Hercule Oetaeo creticum in trimetri fine positum cum antecedente plus trium morarum voce non coalescentem bis (15, 899) inveniri. consideremus vero, quo modo haec res in ceteris fabulis se habeat. antecedit cretico non coalescenti vocabulum, cui plus tres morae sunt, in *Hf.* duodecies (255, 397, 495, 641, 652, 657, 698, 715, 992, 998, 1042, 1333), vocabulum, cui duae tantum morae sunt[53]), decies (265, 406, 654, 1139, 1197, 1246, 1252, 1290, 1323, 1329); in *Troad.* illud septies (519, 523, 889, 898, 936, 951, 1112) — hoc quater (8, 191, 224, 227); in *Phoen.* illud sexies (148, 249, 256, 285, 501, 619) — hoc septies (64, 163, 244, 279, 358, 491, 520); in *Med.* illud decies (127, 151, 152, 203, 547, 562, 572, 684, 700, 887) — hoc quinquies (167, 412, 493, 735, 916); im *Phaed.* illud septies (166, 213, 238, 563, 896, 1247, 1256) — hoc ter (715, 884, 1170); in *Oed.* illud ter (12, 78, 965) — hoc bis (89, 1014); in *Aga.* illud. sexies (252, 394a, 435, 472, 551, 802) — hoc quater (243, 280, 282, 783); in *Thyest.* illud quater (52, 320, 1011, 1061) — hoc undecies (59, 111, 176, 261, 280, 295, 334, 409, 1067, 1082, 1093); in *HO* illud bis (15, 889) — hoc novies (43, 406, 465, 757, 965, 1143, 1218, 1750, 1847)[54]); in *Oct.* illud nusquam — hoc quater (237, 393, 457, 468). Octaviam fabulam, quae maxime a reliquarum usu discrepat, ab anonymo quodam auctore scriptam esse constat. vidimus autem Senecam ipsum sibi non constare. atque hac in re Thyestes et Hercules Oetaeus vix inter se differunt. credo igitur Birtii quoque argumentum a me abolitum esse.

Senecam creticum in trimetri fine positum ubi longa syllaba antecedit fere semper cum antecedente voce coalescentem facere iam vidimus (p. 27). itaque consentaneum est creticorum non coalescentium eos, quibus prima littera vocalis vel *h* est, cum facilius coalescere possint, creticis a consonante incipientibus rarius usurpari. exstat autem creticus non coalescens, cuius prima littera vocalis vel *h* est, in *Hf.* quinquies (v. 397, 406, 657, 715, 1329), creticus qui a consonante incipit septies

---

[53]) Verbum tres moras habens nusquam antecedit cretico non coalescenti.

[54]) Versus 445 dubius est; de versu 574 p. 31 disputavi.

decies (155, 265, 495, 641, 652, 654, 698, 992, 998, 1042, 1139, 1197, 1246, 1252, 1290, 1323, 1333); in *Troad.* ille ter (227, 519, 898) — hic octies (8, 191, 224, 523, 889, 936, 951, 1112); in *Phoen.* ille quater (64, 148, 358, 491) — hic novies (163, 244, 249, 256, 279, 285, 501, 520, 619); in *Med.* ille quinquies (412, 493, 562, 735, 887) — hic decies (127, 151, 152, 167, 203, 547, 572, 684, 700, 916); in *Phaed.* ille bis (563, 884) — hic octies (166, 213, 238, 715, 896, 1247, 1256, 1170); in *Oed.* ille bis (89, 1014) — hic ter (12, 78, 965); in *Aga.* ille quater (234, 252, 282, 472) — hic sexies (280, 394ᵃ, 435, 551, 783, 802); in *Thy.* ille ter (280, 295, 1061) — hic duodecies (52, 59, 111, 176, 261, 302, 334, 409, 1011, 1067, 1082, 1083); in *HO* ille bis (15, 899) — hic sexies (43, 465, 965, 1143, 1218, 1750); in *Oct.* ille bis (237, 468) — hic semel (457). itaque Hercules Oetaeus hac in re cum Annaeanis fabulis plane congruit, Octavia non item. bis in Hercule altero creticum non coalescentem a vocali vel *h* littera incipere dixi, quamquam v. 574 vulgo legitur:

dum poscit Iolen; sed iecur fors horridum.

cum Herculis Oetaei poeta nusquam alibi *fors*, sed novies *forsan* vel *forsitan* (361, 408, 473, 1781, 768, 912, 1398, 1429, 1791) usurpaverit, verisimile mihi videtur, etiam in versu 574 olim *forsan* exstitisse. atque quod creticus *horridum* ab *h* littera incipit, id indiciolum est, quo affirmetur *horridum* ab auctore ipso cum antecedente voce conglutinatum esse. itaque cum in optimo codice non *fors*, sed *forsan* traditum sit, re vera scribendum esse *forsam* mihi persuasum est[55]). *forsam* vel *forsitam* legimus carm. epigr. Lat. 1013, 4 et 1279, 12[56]). in codicibus saepius *forsam* vel *forsitam* esse scriptum multis locis allatis demonstraverunt Ribbeckius[57]) et Schuchardtius (l. s.). addere possum etiam in Annaeanis tragoediis ter *forsam* exstare (cf. *Troad.* 274, 660, *Ag.* 990). elisam autem alteram vocis *forsam* syllabam nusquam alibi inveni.

Haec omnia quae de synaloepha dixi si diligenter consi-

[55]) Sic emendandum esse per colloquium me docuit Birtius. coniectura Melzeri *forsan rude* non probabilis est (p. 34).

[56]) Hunc locum iam vidit Schuchardtius, der Vokalismus des Vulgärlateins I p. 117.

[57]) Proleg. Vergil. p. 420 et ann. Fleck. 57 p. 188.

deraveris, fortasse concedes Herculis Oetaei poetam eodem modo, quo Senecam, elisionibus usum esse.

Eundem non aliter ac Senecam caesuris usum esse exposuerunt Schmidtius (l. s. p. 55 sq.) et Richterus (d. S. tr. a. p. 16). in caesurae loco hiatum facilius ferri mihi probavit R. Klotzius (Grundzüge altrömischer Metrik a. 1890 p. 172). quem virum doctissimum recte defendisse puto traditam lectionem in versibus his:

Hf. 1284: pavidamque matrem? arma nisi dantur mihi,
Thy. 302: prece commovebo: hinc vetus regni furor,
HO 1201: sortis carerem. o ferae, victae ferae,
Oct. 516: tristes Philippi, hausit et Siculum mare,

praesertim cum hiatus semper littera *h* vel *m* molliatur. Klotzium secutus est Gleditschius (Metrik der Griechen und Römer[3] p. 287 adn. 2), contra impugnaverunt L. Muellerus (de re metrica[2] p. 185) et Birtius (Mus. Rhen. 34 p. 12). Thyestis locus est hic (296):

gnatis tamen mandata quae patruo ferant
dabimus: relictis exul hospitiis vagus
regno ut miserias mutet atque Argos regat
ex parte dominus. si nimis durus preces
spernet Thyestes, liberos eius rudes
malisque fessos gravibus et faciles capi
prece commovebo[58]): hinc vetus regni furor e. q. s.

haec Atrei verba sunt. Muellerus et Birtius singularem numerum *commovebo*, cum non Atreus ipse, sed eius filii ii sint, qui Thyestis liberos commoveant, non apte positum esse dixerunt. sed olim legi haec: *Caesar castra posuit.* at constat Caesarem non ipsum castra posuisse. ut Caesar castra poni, ita Atreus liberos Thyestis commoveri iussit. sensus igitur satis aptus est.

HO 1200: ubique mors me fugit, ut leto inclitae
sortis[59]) carerem. o ferae, victae ferae.

editio princeps habet *pro ferae, victae ferae.* hanc coniecturam, tametsi mihi magis placet ea, quam Birtius proposuit (*ubique*

---

[58]) *Precommovebunt* A; *preces movebunt* editio Ald.; *pueri movebunt* Bentleius; *prece commovebunt* L. Muellerus.

[59]) Sic cum Leone pro tradito verbo *mortis* legi velim; *fortis* praebet A.

mors me fugit. ut titulo inclitae mortis carerem, ceterae victae ferae) [60]), tamen cum hiatus et a caesura et a littera *m* satis excusationis habeat, accipere nolim.

In Hercule furente Hercules facinus voluntaria morte expiaturus est; dicit enim (v. 1277):

Si vivo, feci scelera; si morior, tuli.
purgare terras propero. iamdudum mihi
monstrum impium saevumque et immite ac ferum
oberrat: agedum dextra, conare aggredi
ingens opus, labore bis seno amplius.
ignava cessas, fortis in pueros modo
pavidamque matrem? arma nisi dantur mihi e. q. s.

pro *pavidamque matrem* legimus in A *pavidasque matres*, quae verba ab editoribus in textum recepta sunt. sed sine dubio Etruscus, ut solet, lectionem meliorem praebet, nam verbis: *fortis in pueros modo pavidamque matrem* Hercules aperte alludit ad scelus, quod commodum in se suscepit. qui cum unam matrem necaverit, dicere non potest *pavidasque matres.* itaque etiam hoc loco hiatus admittendus est. eandem licentiam deprehendimus in Octavia (v. 516), ad quem versum viri docti nihil quod persuadeat coniecerunt.

Accedit Herculis Oetaei locus hic (1399):

HERC.: ubi morbus, ubinam est? estne adhuc aliquid mali
in orbe mecum? veniat, huc aliquis mihi
intendat arcus: nuda sufficiet manus.
procedat agedum. ALCM. Ei mihi e. q. s.

sic versus 1402 et in E et in A traditus est. itaque etiam hoc loco hiatus exstat, nam coniectura Avantii, qui *huc* post *agedum* inferre voluit, vacillat et claudicat. superest locus unus, qui vulgo sic legitur

HO 1260: quaecumque pestis sive quaecumque es fera,
palam timere! quis tibi in medias locum
fecit medullas? ecce direpta cute
viscera manus detexit; ulterior tamen
inventa latebra est — o malum simile Herculi!
unde iste fletus? unde in has lacrimae genas?

[60]) Birtio oblocutus est Tachavus, Philol. 48 p. 750. nuperrime Birtius editionem principem secutus esse videtur (cf. Philol. 63 fasc. 3 p. 431).

invictus olim voltus et numquam malis
lacrimas suis praebere consuetus (pudet)
iam flere didicit.

sed Etruscus praebet v. 1265: *unde has lacrimas gerit.* quam ob rem hoc modo legendum est (1265):

unde iste fletus? unde has lacrimas gerit
invictus olim voltus et numquam malis
lacrimas suis praebere consuetus? pudet:
iam flere didicit[61]).

hiatus vero, quem in versu 1265 deprehendimus, semiseptenaria[62]) et *h* littera vocis *has* tolerabile fit. sexies igitur his in fabulis admissus est hiatus, cui semper et a caesura et a littera *h* vel *m* excusatio parata est. praeterea Birtius mihi probavit (der Hiat bei Plautus p. 97 sq.) apud Terentianum Maurum aliosque poetas hiatum non solum in caesurae sede, sed etiam aliis versus locis *h* littera molliri. itaque inter Herculem Oetaeum ceterasque fabulas huius rei differentia non invenitur.

Pessimum vero esse versum *HO* 1298: *votum spopondit; nulla propter me sacro* dixit Leo (I p. 60). desideravit enim semiseptenariam qua, ut eiusmodi trimeter asperior leniatur, effici putavit. hanc ob rem placuerunt viro doctissimo versus.

HO 299: pro me gerebas bella, propter me vagas,
Phoen. 336: superate et aliquid facite propter quod patrem.

praeterea autem comparandi sunt senarii hi:

Troad. 500: quis proteget? qui semper, etiam nunc tuos,
Phoen. 35: cum occidis et cum parcis, olim iam tuum,
176: eduxit oculos. haeret etiam nunc mihi,
Med. 278: lacerumque fratrem, quicquid etiam nunc novas,
520: fortuna semper omnis infra me stetit,
567: quicquid potest Medea, quicquid non potest,
Oed. 618: Pentheus tenetque saevus etiam nunc minas,
Aga. 197: patrique Orestes similis? horum te mala,
HO 724: vix ora solvi patitur etiam nunc timor.

atque in versibus *Phoen.* 176, *Med.* 278, *HO* 1298 non solum caesura semiquinaria inest, sed post quartam arsin (Senkung) etiam incisio (i. e. semiseptenaria) exstat. his autem

[61]) Sic interpungendum et E sequendum esse mihi persuasit Birtius.
[62]) In versu 1265 semiquinariam maiorem vim habere concedo.

trimetris, cum *etiam* cum *nunc* et *propter* cum *me* in unam quasi vocem coeat, excusatio satis superque parata est[63]).

Perpauca porro de interpunctione dicenda sunt. Leo vidit (I p. 59) *HO* 907 post arsin (Senkung) anapaesti primum trimetri pedem obtinentis levem interpunctionem positam esse. quod cum idem *Hf.* 514, *Med.* 426, *Oed.* 927 inveniamus, a Senecae arte non alienum est.

HO 465: quas Pontus herbas generat aut quas Thessala
sub rupe Pindus aluit (sic E): ubi inveniam malum
cui cedat ille?

versus 466 sine dubio corruptus est: interpolati codices praebent *Pindus aut ubi*, quod nihili est. Peiperus editor pro *aluit* scribi voluit *alit.* hanc coniecturam si accipimus post solutam tertiam thesin (Hebung) gravem exstare interpunctionem nobis concedendum est. quod cum Birtio non tolerabile videretur, coniecit (p. 537): *Pindus: tale ubi* e. q. s. ego Peiperum sequi malim, nam vidi Agamemnonis versum (969):

EL. Tuto quietus, regna non metuens nova:
iustae parenti s a t i s *CLYT.* a t iratae parum.

Post primam thesin solutam interpunctio gravis invenitur *Thy.* 39; levis *Hf.* 504, *Troad.* 607, *Med.* 447, *Phaed.* 1180, *Aga.* 660, *Thy.* 1089, *Oct.* 146.

HO 981 vulgo legitur:

et quicquid aliud restitit: ab illis tamen.

post priorem moram quartae thesis solutae interpunctio exstat gravis. talem trimetrum sane pessimum neque alibi in Hercule Oetaeo neque in reliquis fabulis inveni. atque cum in Florentino pro *restitit* traditum sit *cessit,* in propatulo est versum a poeta aliter scriptum esse. Leo tunc cum hunc locum tractavit, de virorum doctorum coniecturis iudicavit (I p. 59): *quidquid tentatum est, pingui Minerva tentatum est.* nosse enim non potuit Birtii qui *cessit imbellis* scite coniecit emendationem, de qua Tachavus dixit (Philol. 48 p. 746): die endliche Heilung der mit vielen Konjekturen beglückten Stelle.

Ante ultimum senarii pedem levem interpunctionem cre-

[63]) Itaque paulo maiorem quam Seneca licentiam sibi concessit Ausonius, quem exempli causa affero, in hoc senario (epigr. 48):
cor ergo versus, immo R u f u s n o n habet.

brius invenire possumus, gravem tantum *Hf.* 373, *Troad.* 1000, 1005, *Phoen.* 205, 234, *Med.* 125, *Phaed.* 425, *Oed.* 697, 698, *Ag.* 52, *HO* 1000, 1006, 1016, (fortasse v. 1267 cf. p. 34), 1806.

Et quoniam omnia persequimur, volumus quidem certe, etiam de accentu verborum cum numerorum rationibus exaequando dicendum est[64]). quae res quomodo apud veteres Romanos se habuerit nos docuit Osc. Brugmannus (Quemadmodum in iambico senario Romani veteres verborum cum numeris consociarint), qui *in tertio pede*, inquit (p. 52), *i. e. in medio versu verborum accentus et ictus rhythmici semper concinerent oportuit, in altero et quarto, tertio proximis, sola fere iambica verba ceteris quodammodo leviora admissa erant, primo loco et ultimis, qui maxime distant a tertio, omni modo verborum accentum neglegere licuit.* Seneca, quem Brugmannus non excussit, hanc legem ipse quoque in omnibus fabulis secutus est; conferas locos in tabula adiecta conscriptos **).

Verborum accentus cum numeris non concinentes.

fabulae	in altero pede	in quarto pede
Herc. fur.	12, 103, 310, 332, 359, 382, 395, 434, 440, 446, 492, 513, 644, 818, 939, 975, 1046, 1049, 1149, 1138, 1156, 1176, 1191, 1193, 1194, 1208, 1257, 1267, 1276, 1282, 1303, 1305. (32 ex.).	1, 35, 46, 230, 258, 264, 298, 313, 329, 340, 349, 354, 371, 406, 412, 426, 427, 428, 448, 473, 474, 488, 603, 605, 614, 628, 633, 634, 645, 656, 690, 707, 723, 927, 960, 996, 1027, 1031, 1150, 1151, 1157, 1161, 1172, 1173, 1175, 1177, 1220, 1232, 1234, 1272, 1273, 1275, 1288, 1292, 1294, 1309, 1321, 1328, 941; (59 ex.).
Troades	12, 35, 61, 196, 207, 210, 261, 291, 307, 334, 336, 369, 417, 426, 438, 451, 498, 508, 513, 515, 516, 547, 587, 618, 626, 654, 676, 697, 702, 736, 741, 760, 861, 882, 904, 911, 961, 1003, 1057, 1087, 1129. (41 ex.).	2, 23, 31, 46, 56, 167, 208, 209, 232, 242, 248, 279, 300, 315, 318, 334, 347, 350, 360, 365, 413, 414, 419, 429, 457, 466, 474, 476, 482, 496, 490, 499, 522, 546, 548, 574, 577, 592, 595, 598, 601, 610, 646, 655, 661, 690, 694, 737, 740, 746, 749, 758, 763, 766, 777, 773, 786, 788, 792, 803, 869, 881, 895, 913, 916, 972, 977, 979, 992, 993, 1005, 1008, 1058, 1059, 1072, 1090, 1095, 1109, 1110, 1135, 1138, 1143, 1144, 1152, 1157, 1162, 1168; (87 ex.).

[64]) Perpauca hac de re disseruerunt Schmidtius (l. s. p. 41 sq.) et Richterus (de S. tr. a. p. 18 sq.).

**) neglexit bis in quarto pede:
Oed. 766: superi inferique, sed animus contra innocens,
Thy. 415: fulgore non est quod oculos falso auferat.

fabulae	in altero pede	in quarto pede
Phoenissae	32, 40, 49, 104, 105, 117, 134, 158, 166, 182, 201, 204, 211, 219, 226, 235, 258, 308, 312, 323, 337, 344, 366, 386, 392, 400, 451, 469, 478, 500, 509, 525, 532, 604, 612, 623, 633, 634; (38 ex.).	11, 23, 26, 28, 30, 39, 51, 66, 71, 73, 79, 149, 158, 163, 180, 190, 191, 195, 199, 202, 206, 233, 248, 271, 284, 289, 294, 300, 305, 357, 442, 447, 476, 477, 506, 507, 518, 535, 548, 552, 555, 557, 559, 563, 582, 599, 615, 645; (48 ex.).
Medea	3, 21, 155, 161, 163, 167, 176, 180, 200, 207, 234, 245, 271, 280, 288, 406, 441, 442, 491, 539. 545, 564, 567, 676, 681, 692, 911, 912, 935, 949, 1017; (31 ex.).	19, 53, 126, 140, 141, 160, 168, 169, 186, 218, 221, 233, 240, 242, 245, 246, 260, 262, 281, 380, 436, 437, 453, 458, 474, 479, 483, 485, 488, 497, 536, 543, 574, 726, 728, 735, 881, 886, 901, 908, 915, 932, 971, 1006, 1010; (45 ex.).
Phaedra	100, 115, 136, 139, 155, 215, 266, 380, 381, 388, 425, 584, 607, 637, 657, 663, 682, 690, 709, 998, 1012, 1039, 1166, 1231, 1235, 1240, 1267; (27 ex.).	92, 112, 119, 167, 178, 207, 251, 358, 365, 404, 412, 423, 441, 448, 452, 453, 454, 479, 497, 498, 508, 519, 546, 618, 647, 656, 678, 683, 686, 690, 699, 847, 859, 868, 876, 892, 924, 930, 948, 1020, 1051, 1062, 1084, 1087, 1089, 1121, 1173, 1176, 1226, 1242, 1250; (51 ex.).
Oedipus	29, 249, 266, 294, 296, 328, 330, 334, 373, 398, 511, 526, 663, 672, 776, 781, 790, 792, 824; (19 ex.).	15, 26, 68, 81, 263, 297, 347, 387, 390. 512, 518, 527, 550, 579, 614, 631, 632, 636, 655, 664, 666, 667, 673, 694, 695, 700, 766, 767, 770, 787, 795, 798, 814, 849, 864, 872, 940, 948, 953, 999, 1008, 1012, 1031, 1034; (44 ex.).
Agamemnon	415, 524, 697, 724, 726, 787, 791, 802, 991, 1011; (10 ex.).	5, 9, 35, 47, 49, 112, 113, 124, 131, 142, 145, 149, 151, 154, 188, 198, 199, 206, 218, 242, 246, 272, 280, 283, 286, 297, 301, 304, 398ᵃ, 405ᵃ, 407ᵃ, 414, 452, 481, 489, 555, 575, 587, 695, 699, 735, 742, 747, 799, 886, 931, 961; (47 ex.).
Thyestes	13, 39, 42, 176, 210, 243, 263, 287, 296, 406, 407, 416, 418, 442, 454, 462, 484, 485, 489, 497, 508, 523, 526, 682, 717, 720, 723, 890, 893, 896, 898, 970, 973, 975, 991, 992, 1029, 1031, 1035, 1052, 1075, 1082, 1084; (43 ex.).	9, 19, 29, 37, 62, 86, 88, 106, 116, 200, 218, 219, 241, 244, 252, 254, 278, 279, 280, 286, 294, 299, 302, 304, 313, 314, 335, 410, 415, 417, 428, 430, 444, 481, 482, 483, 496, 499, 541, 625, 628, 629, 631, 634, 667, 677, 684, 687, 690, 713, 716, 719, 731, 749, 769, 782, 897, 899, 919, 973, 1001, 1036, 1088, 1092. 1096, 1099; (66 ex.).
Hercules Oetaeus	34, 35, 54, 58, 79, 99, 258, 263, 272, 278, 294, 350, 404, 405, 535, 560, 739, 743, 747, 752, 769, 811, 820, 825, 886, 899, 910, 911, 924, 945, 961,	7, 10, 13, 30, 43, 52, 56, 64, 98, 101, 266, 268, 273, 289, 305, 306, 308, 310, 311, 312, 313, 314, 327, 331, 334, 359, 367, 372, 377, 378, 395, 396, 401, 406, 427, 432, 434, 438, 439, 459, 463, 477,

fabulae	in altero pede	in quarto pede
Hercules Oetaeus	1139, 1172, 1192, 1224, 1241, 1248, 1258, 1263, 1267, 1274, 1291, 1307, 1333, 1435, 1488, 1491, 1502, 1511, 1678, 1693, 1697, 1709, 1710, 1721, 1723, 1726, 1748, 1786, 1787, 1797, 1805, 1825, 1830, 1836, 1855, 1859, 1975; (68 ex.).	488, 513, 532, 546, 547, 569, 574, 714, 750, 756, 760, 761, 804, 807, 823, 842, 844, 846, 848, 855, 857, 869, 889, 909, 917, 943, 955, 959, 965, 972, 976, 986, 991, 994, 1020, 1027, 1028, 1134, 1165, 1166, 1168, 1183, 1201, 1244, 1264, 1268, 1290, 1295, 1296, 1302, 1309, 1323, 1325, 1328, 1336, 1349, 1372, 1376, 1380, 1389, 1406, 1408, 1402, 1415, 1419, 1434, 1436, 1444, 1457, 1462, 1469, 1485, 1613, 1629, 1646, 1650, 1698, 1716, 1719, 1722, 1739, 1745, 1760, 1774, 1778, 1781, 1782, 1802, 1803, 1809, 1814, 1822, 1827, 1845; (136 ex.).

Cum illa regula a Brugmanno constituta non discrepat quod *nescio* verbum in tertio pede accentum rhythmicum ter in media syllaba habet cf.

HO 752: urit lues nescio qua; qui domuit feras,

Phaed. 1019: provolvitur: nescio quid onerato sinu,

Oed. 334: pudet deos nescio quid. huc propere admove.

verba *nescio quid* vel *nescio qua* tamquam unam vocem efficiunt. neque hac re tragoedias inter se differre neque multitudine locorum, ubi verborum accentus ictui rhythmico repugnat, ex tabula illa apparet, cum senarios singularum fabularum numerans Herculem Oetaeum penitus cum reliquis Annaeanis congruere videas. iam Richterus hunc numerum iniit — non semper subtiliter executus (d. S. tr. a. p. 16).

Seneca, qui aut secundo aut quarto pedi creberrime vocem ita immisit, ut praeter linguae consuetudinem acueretur, simul et in secundo et in quarto pede eiusdem versus verborum accentus a numeris abhorrere noluit. cuius rei perpauca exempla exstare videntur:

Troad. 334: quod non vetát lex, hoc vetát fieri pudor,

Phoen. 158: totus nocéns sum; qua volés mortem exige,

Med. 245: hoc est penés te. si placét damna ream,

Thy. 973: satias dapís me nec minús Bacchi tenet.

et in secundo et in tertio trimetri pede verborum accentus neglecti sunt bis:

Oed. 334: pudet deós nescío quid. huc propere admove,

HO 752: urit lués nescío qua; qui domuit feras.
ex quibus locis discimus Romanos pronuntiasse re vera *penés te* et *nocéns sum*. item uni trium syllabarum voci respondent verba *nón vetat* et *néc minus*. de versibus *Oed.* 334 et *HO* 752 p. 38 dixi.

Vocabula proceleusmatici vel paeonis quarti mensurâ comprehensa cum Romani temporibus Plautinis in prima syllaba, postea autem in secunda acuerint[65]), mihi examinandum est, utrum Herculis Oetaei scriptor eodem modo quo Seneca talia quadrisyllaba ictu percusserit necne. inveniuntur autem haec verba in trimetri initio et exitu et medio in senario iambico. si in initio exstant, semper in secunda syllaba accentum habent, si in fine leguntur, semper in prima acuta sunt. ergo is poeta, qui tales voces in versus initio rarius quam in fine posuit, in prima syllaba eas acuere maluit; contra is, qui saepius in initio eas posuit, secundam acuere solebat. cum medio in senario haec verba modo in prima modo in secunda syllaba accentum habeant, nobis numerandum erit, utrum acuendi genus crebrius usurpatum sit. exstant autem eius modi vocabula in initio undecies (*Med.* 53, 172, 272, 433, 490, 556, *Phaed.* 619, *Oed.* 278, *Agam.* 14, 194, 283), in fine quinquies (*Hf.* 408, *Med.* 266, 268, 471, *Oed.* 847). medio in trimetro acuit poeta has voces in *Hf.* in prima syllaba bis (757, 1183), in secunda semel (1050); in *Troad.* quater (195, 607, 752, 757) — ter (329, 330, 429); in *Phoen.* quinquies (61, 108, 242, 331, 533) — ter (88, 105, 240); in *Med.* quinquies (253, 499, 559, 561, 925) — bis (249, 450); in *Phaed.* septies (161, 240, 242, 732, 937, 1082, 1186) — quater (732, 1002, 1230, 1247); in *Oed.* quinquies (35, 515, 821, 879, 1030) — quinquies (240, 245, 768, 937, 1021); in *Ag.* septies (7, 25, 115, 165, 169, 449, 929) — ter (145, 288, 403[a]); in *Thy.* semel (641) — ter (298, 307, 897), in *HO* octies (433, 754, 877, 953, 1467, 1756, 1823, 1829) — ter (361, 432, 1305). Hercules Oetaeus igitur melius quam Thyestes cum reliquarum usu convenit. sed mirum est, quod poeta haec quadrisyllaba verba saepius in initio (quo loco accentus in se-

[65]) Cf. W. M. Lindsay, über die Versbetonung von Wörtern wie facilius in der Dichtung der Republik, Philol. 51 [1892] p. 364 sq. et Fr. Stolz, Lateinische Grammatik³ p. 101.

cunda syllaba haeret) quam in fine posuit, contra medio in senario primam syllabam crebrius acuit. quin etiam semel (in Thyeste) medio in trimetro secundam acuere maluit. atque in *Oed.* quinquies prima, quinquies secunda accentum habet. hac ex re sine dubio concludi potest Senecae temporibus genus acuendi anceps et incertum fuisse. fortasse autem cum hae voces, si omnia exempla computamus, undequinquagies in prima, undequadragies tantum in secunda syllaba acutae sint, etiam tunc prius illud acuendi genus, quod postea desiit esse, magis quam alterum floruit. hoc non ab omni probabilitate abhorrere apparet ex usu Phaedri, qui paulo ante Senecam scripsit. hic in initio senarii tale quadrisyllabum verbum nusquam posuit, contra in fine undenonagies (I pr. 5; 5, 1; 17, 1; 19, 8; 20, 4; 22, 6; 24, 9; 25, 1; 27, 5; 28, 1; 29, 5; 30, 9; II pr. 10; pr. 15; 2, 8; 3, 2; 4, 2; 4, 3; 4, 5; 6, 2; 7, 13; 8, 1; 8, 26; III pr. 23; pr. 25; pr. 44; 1, 6; 2, 17; 3, 6; 5, 6; 7, 22; 10, 14; 10, 24; 10, 30; 10, 32; 10, 34; 11, 4; 14, 10; 15, 16; 16, 6; 17, 8; 18, 2; 19, 1; ep. 3; ep. 5; ep. 15; ep. 35; IV pr. 1; pr. 19; 1, 3; 2, 4; 5, 21; 7, 26; 11, 4; 11, 16; 11, 20; 15, 1; 19, 3; 19, 5; 20, 16; 21, 3; 22, 3; 22, 7; 22, 15; 22, 23; 25, 3; 25, 19; ep. 2; ep. 10; V 4, 10; 4, 11; 5, 34; 7, 23; App. 2, 10; 3, 11; 3, 13; 4, 23; 5, 6; 6, 4; 10, 15; 13, 19; 13, 27, 15, 12; 16, 7; 17, 5; 26, 5; 27, 3; 28, 8; 29, 9). medio in versu acuit haec verba Phaedrus in prima syllaba quaterdecies (I 1, 2; 19, 4; 19, 10; 20, 6; 26, 6; III 3, 1; 10, 21; IV 5, 36; 7, 16; 11, 9; V 4, 3; App. 3, 1; 13, 15; 16, 6), in secunda vicies quinquies (I pr. 7; 31, 13; II pr. 9; 1, 12; 3, 3; 5, 7; III 4, 2; 7, 13; 10, 8; 13, 8; ep. 14[66]); ep. 26; IV 2, 15; 6, 5; 24, 13; 25, 2; 25, 12; V pr. 5; 4, 12; *App.* 8, 28; 10, 7; 13, 8; 18, 1; 29, 3; 29, 10). apud Phaedrum centies ter prima syllaba, quinquies et vicies secunda acuta est. quam ob rem versimile videtur Romanos etiam Phaedri ac Seneae temporibus voces quibus mensura proceleusmatici vel paeonis quarti erat, in prima syllaba acuere maluisse quam in secunda.

In Herculis Oetaei canticis synaloepham longarum vocalium magis etiam quam in reliquis vitatam esse ea docere,

---

[66]) Versus III epil. 14, in quo *celérius* legimus, fortasse spurius est.

quae Schmidtius (p. 25 sq.) composuerit, dixit Leo (I. p. 60). sed hoc omnino verum non est, nam differentia nulla exstat nisi haec: ‚longa vocalis cum brevi copulata his in tragoediis semel tantum invenitur (*HO* 1956 *certe ego*)'. Senecam cum in metris lyricis etiam lenissimo atque usitatissimo genere coniungendarum vocalium abstineret, hoc loco semel licentiam sibi permisisse concedendum est. esto igitur hoc singulare, sed etiam in ceteris tragoediis nonnulla aeque singularia inveniuntur; vide *Troad.* 191, *Thy.* 233, *Phoen.* 426, *Ag.* 146 (cf. Schmidt p. 12 sp.).

R. Bentleius (opuscula philologica, Lipsiae a. 1781 p. 232 et p. 228/229) argumentum esse voluit, quod nonnumquam in Hercule Oetaeo anapaesticum versum tribracho terminari vidit. at si nunc viveret, hoc non proferret. sciret enim Agamemnonem fabulam, quam eodem vitio [67]) laborare ipse deprehendit, a Seneca scriptam esse.

Goebelius (l. s. p. 740) aegre tulit, quod *HO* 1060 pherecrateus versibus glyconeis insertus est. si non satis constaret hunc versum delendum esse, afferrem Phaedrae locum (v. 783), quo versus glyconeus intra systema asclepiadeum exstat [68]).

In anapaestum terna vocabula perraro admissa sunt [69]), *HO* 173 (*at ego infelix*), 186 (*vel in Eridani*), 191 (*vel in Edonas*), *Thy.* 827 (*quidquid id est*), 963 (*quidquid id est*), *Hf.* 1090 (*sed ut ingenti*) [70]), *Med.* 815 (*atque eadem est*). differentia igitur quae Richterum offendit (de. S. tr. a. p. 23) non adest.

In anapaesticis versibus verbum dactylicum in secunda syllaba acutum voci anapaesticae anteponere boni poetae noluerunt. haec lex bis in *HO* (186 *fingite superi*, 1883 *Arcades obitus*), semel in *Hf.* (1064 *solvite superi*) frangitur (cf. Leo I p. 60).

HO 151: *nullis vulneribus pervia membra sunt*, asclepiadeum versum monosyllabo terminatum vituperavit Leo (I p. 60). sed legas Horatii versus (c. IV 13, 1 et 6):

[67]) Hanc rem re vera vitium esse, cum ultima syllaba versus anapaestici apud Senecam anceps sit, credere non possum.

[68]) Corruptus versus 1080 Goebelio non vituperandus erat; accedit quod in E integer glyconeus traditus est.

[69]) Exempla haec praeter quod in Medea exstat iam vidit Schmidtius (l. s. p. 68).

[70]) Hic locus non emendandus est.

andivere, Lyce, di mea vota, di
et *lentum sollicitas: ille virentis et.*

praeterea simile vitium in Thyeste invenitur. Seneca enim vitare studebat, ne versum anapaesticum monosyllabo clauderet. quod sibi concessit semel in *Aga.* (v. 78) et quater in *Thy.* (827, 883, 963, 968). si vero in anapaesti fine monosyllabum posuit, semper aliud monosyllabum antecedens fecit. bisyllabum autem antecedit semel in *Thy.* 968. ceterum illud argumentum leve esse Leo cum priorem Herculis Oetaei partem genuinam putaret, ipse confessus est (I p. 70).

Birtius iure aegre tulit (l. s. p. 516) locum hunc *HO* 198: *sibi Tantalis est facta superstes*, quo in versu anapaestico vox dactylica in prima syllaba acuta (*Tantalis*) exstat. quamquam hoc apud Senecam sane nusquam alibi inveni, tamen non ab omni arte metrica alienum esse cognosces, si videris Terentiani Mauri versus hos (G. L. ed. K. VI p. 379):

atque ille poeta Faliscus
cum ludicra carmina pangit
,uva uva sum et uva Falerna
et ter feror et quater anno'
libro quoque dixit eodem
undae unde colonus eoae
a flumine venit Oronti.

itaque non solum Terentianus ipse bis in eodem versu (*ludicra carmina*) verbum dactylicum posuit in prima syllaba acutum, sed etiam Faliscus ille poeta, quem Annianum esse Lachmannus nos docuit (ad Terent. Maur. p. XIII), similiter peccavit (*flumine*). praeterea conferas versus hos:

fuge m o e n i a iam Telamoniade,
date Pierides mihi c a r m i n a doctiloquorum,
sua m u n e r a fert Venus alma rosas iuveni Cinyreidae,
date vina mihi, date serta, iuvat dare t e m p o r a tota Lyaeo.

haec exempla inveni apud Servium (G. L. ed. K. IV p. 462). concedo autem versus a me allatos paulo diversos esse ab Herculis Oetaei loco, quo, si prorsus singularis esset, cum etiam

in ceteris fabulis haec vel illa a communi usu abhorreant (cf. Leo. I p. 71), nihil probaretur[71]).

Breviter, ut ad res prosodiacas transeamus, de syllabarum natura brevium ea productione disputandum est quam mutae cum liquida coniunctio efficit. qua de re praeclare disseruit Schmidtius (l. s. p. 32 sq.). qui fabulas Annaeanas, praeterquam quod verba *Hebrus*, *Cyclas*, *hydra*, *fibra* correptis syllabis prioribus non nisi in Herc. Oet. posita essent, omnes inter se congruere recte vidit[72]). de mensura nominis *Hebri* cuius syllaba prior semel in *HO* (v. 19) correpta est, in reliquis autem tragoediis tantummodo in primi vel tertii pedis arsi (Senkung) invenitur, omitto quaerere. vocabulorum *Cyclas*, *hydra*, *fibra* syllabae priores in ceteris fabulis semper productae sunt. quam rem tamen noli putare quantulumcumque contra Herculis Oetaei auctoritatem indicium. nam apud Senecam mutae cum liquida copulatio modo positionem facit, modo non facit. quod ut demonstrarem verba ad hanc quaestionem pertinentia collegi et conscripsi in adiecta tabula, ex qua, quanta sit inter singulas tragoedias differentia, facile cognosci potest. vide modo quatenus e. g. in voce *patris patrem* Medea discordet cum Herc. fur. et in voce *retro* Agam. cum eodem Herc. fur. vel *utrumque* producta prima non occurrere nisi in Phoenissis. itaque eo, quod verborum *Cyclas*, *hydra*, *fibra* syllabae priores nonnumquam in *HO* corripiuntur, nihil efficitur. quo argumento perperam usus est Leo (I p. 61).

Contractae perfecti formae velut *abit*, *perit*, quas his in tragoediis in senario saepius adhibitas, a metris vero lyricis exclusas esse Schmidtius monuit (l. s. p. 10), ter admissae sunt in anapaesticis versibus Herculis Oetaei (1865 *perit*, 1868 *perit*, 1911 *abit*) et semel in glyconeo (1062 *adit*). contra dicere possum in verbis *deesse* et *deerrare* similem contractionem fieri, quae crebro in trimetris, semel tantum in canticis invenitur *Hf.* 832 *derat hoc solum numero laborum.* locos, quibus hae contractae formae exstant, collegit Schmidtius (l. s. p. 11).

[71]) Ceterum moneo eos versus vitio metrico laborantes, quos non tetigi, aut correctos esse aut certe emendatione indigere velut 368, 1176, alios.

[72]) Trimetri soli a Schmidtio hanc in quastionem vocati sunt.

Richterus aegre tulit (de S. tr. a. p. 15) quod *HO* 1095 *quattuor* bisyllabum est. at si tunc vidisset locos, quos Georges (s. v. quattuor) attulit, et verba legisset, quae Fr. Stolzius fecit (Lateinische Grammatik[3] p. 33/34), fortasse hoc argumento non usus esset. praeterea iam Schmidtius (p. 13) deprehendit in Agamemnone *u* vocalem vocis *suapte* ad consonantem depressam esse v. 250. atque in Ovidii quae feruntur Halieuticis *milvus* bisyllabum efficit v. 95. talia igitur Senecae temporibus[73]) non inaudita erant.

Quae Richterus de nominibus propriis velut *Oechalia*, *Electra*, *Phaedra* et de *o* vocali in ablativo gerundi casu correpta disputavit, cum Hercules Oetaeus his in rebus penitus cum Annaeanis fabulis consentiat, nullius momenti sunt (cf. Richter de S. tr. a. p. 15)[74]).

HO 782: hic rupe celsa, multa quam nubes ferit,
annosa fulgent templa Cenaei Iovis.
ut stetit ad aras omne votivum pecus e. q. s.

poeta cum in versu 783 templum commemoret, sequenti autem arae mentionem faciat, continuationem sermonis intermittere videtur. hanc ut restitueret, Birtius templum et aram hoc loco unum idemque esse nobis probare voluit (Mus. Rhen. 34 p. 533). sed mihi quidem viri doctissimi sententia non placet. nam scriptor non solum aram sed etiam templum in illa rupe exstitisse dicit[75]). quam ob rem bene res se haberet, si legeremus: 'ut stetit ad aras templi Cenaei Iovis omne e. q. s.' et quamquam haec verba (templi Cenaei Iovis) re vera in versu 784 non scripta videmus, tamen ex antecedente facile audire possumus. duae igitur atque inter se diversae res sunt templum et ara. itaque huius fabulae poeta, cum Sophocles templum non commemoret (cf. Trach. v. 238 et v. 993), ab exemplo suo recessit. nunc vide versus

HO 101 sqq.: vos pecus rapite ocius

---

[73]) Placent enim mihi Birtii verba haec: *innotuisse Halieutica diximus simul atque edita sunt post nonum Plini librum et ante tricesimum alterum neque post Vespasiani aetatem neque ante Neroneam* (De Halieuticis Ovidio poetae falso adscriptis p. 159).

[74]) addere possum Phoen. 558: *petendŏ patriam perdis?*

[75]) ex poetae verbis (annosa *fulgent*) sequitur, ut templum hoc loco non τέμενος, sed aedificium sit.

qua templa pollens ara Cenaei Iovis
austro timendum spectat Euboicum mare.

quaeritur quid sibi velint verba *templa pollens ara.* Birtius vertit (p. 533): der Altar vertritt den Tempel. at non solum aram sed etiam templum illo loco fuisse iam vidimus. praeterea hanc significationem verbi pollendi nusquam alibi invenimus. bis tantum pollere idem est quod valere, wert sein (cf. Birt), nam in Agamemnonis versu 805 *cuncta pollens* dictum est pro *omnipotens.* verba *templa tollens ara* in codicibus deterioribus (A) tradita sensum non praebent. quibus de causis hic locus emendandus est. iam anno MDCXVIII Rutgersius coniecit (cf. Variarum lectionum libri VI p. 92) *templa tollens acta* Sophoclem (Trach. v. 237) secutus. sed non recte coniecit, nam vocis *actae*, cum esset Graecum verbum ἀκτή, casu nominativo Romani non utebantur. itaque fortasse tibi placebit emendatio haec: *qua templa tollens ora Cenaei Iovis.* ora vox simillima est arae et *templa tollens* in A traditum facile mutari poterat in *templa pollens.* conferendi autem sunt versus hi:

Phaed. 1042: opima cervix arduos tollit toros,
Stat. Silv. V 2, 70: silva comas tollit,
Hf. 662: Spartana tellus nobile attollit iugum,
Phoen. 602: hinc nota Baccho Tmolus attollit iuga,
Ag. 729: geminumque duplices Argos attollit domus. —

Transeo ad

HO 746: regna triumphi, templa Iunonis pete:
haec tibi patent, delubra praeclusa omnia.

verba *regna triumphi*, sequentibus (*templa Iunonis*) apposita, non scite dicta sunt pro *regna ubi Iuno triumphat.* accedit quod hic versus, cum *a* vocalis verbi *regna* producta sit, propter metrum quoque suspectus est. his de causis Birtii qui *pigeat triumphi* scripsit (p. 538) emendationem accipio; nam ceteri viri docti quod coniecerunt, id mihi non probaverunt. si vero tradita verba retinere mavis, tibi concedendum est brevem vocalem ante duas consonantes sequens verbum incohantes productam esse. poetam autem propter hoc reprehendi nolim, quia exempla huius rei exstant haec:

Hf. 950: hiemsque gelido frigid*a* spatio refert,
Phaed. 1026: immugit, omnes undiqu*e* scopuli adstrepunt.

praeterea Leo apud Tibullum, Lucanum, Statium, Manilium scriptos vidit septem locos huc spectantes (cf. I p. 203 adn. 4).

Haec omnia cum ita sint, constat rationes metricas et res prosodiacas Herculis Oetaei nusquam cum Senecae usu discrepare.

Quo constituto properemus ad ea virorum doctorum argumenta consideranda quae ad orthographiam pertinent. talia autem argumenta sine dubio levissima sunt, nam fortasse Seneca ipse nunc hoc, nunc illo modo scripsit et quid verisimilius est quam scribas has rationes arbitrio suo mutavisse? Richterus (d. S. tr. a. p. 27) formam abbreviatam *viden* pro *videsne* nusquam invenit in his tragoediis nisi *HO* 1207 *viden ut laudis conscia virtus.* sed hic locus, cum in E traditum sit *videt*, non satis certus est. *Phoen.* 394 legimus in E *viden*, sed etiam hic locus corruptus est. quod tamen sufficit ut demonstretur Richterum hoc argumento uti non debuisse. atque cum ipsa forma *videsne* in Senecae fabulis omnino non exstet, nescimus utrum *videsne* maluerit scribere poeta quam *viden* necne. ac ne dicas formam *viden* non nisi ad sermonem vulgarem pertinere tecum communico Statii locum hunc:

Theb. X, 812: haec erat, haec metuenda manus ferrumque quod amens
ipsa dedi; viden ut iugulo consumpserit ensem?

similis forma *satin*[76]) exstat *Oed.* 956, contra *satisne* legimus *Phaed.* 635.

Idem Richterus contendit (l. s. p. 27) in sola hac fabula bis adiectivorum in *is*, *e* formatorum inveniri ablativum, qui *e* pro *i* adsumpserit (v. 1450 *quale* (sc. stipite) et 1844 *incolume nato*). neque enim vidit Agamemnonis locum 807 (*supplice fibra*), neque novit verba haec: Zuweilen haben jedoch die Dichter, namentlich Ovidius nach Bequemlichkeit des Versmasses den Ablativ auf e zugelassen (cf. Neue-Wagener, Lateinische Formenlehre[3] II p. 54, ubi permulta exempla congesta sunt). eundem librum (p. 529) si inspexeris dativum *toto* pro *toti* etiam a bonis poetis velut a Propertio et Ovidio non evitatum esse primo obtutu cognosces. itaque Senecae quoque hoc indulgebimus (cf. Leo I p. 61).

---

[76]) traditum est *statim*, quod Leo correxit.

Substantiva *domus* et *colus* in Hercule Oetaeo praeter Senecae usum plurali numero quartam declinationem sequi dixit Leo (I p. 61). sed *domûs* quarto casu semel tantum exstat v. 1916, nam locus v. 1633, quem vir doctissimus huc rettulit, cum in E et in A traditum sit *nemus* et recentiores codices *domos* praebeant, nimis incertus est. *domos* autem scriptum videmus *HO* 1870. itaque in *HO* nunc forma *domus*, nunc *domos* usurpata est. ac si Leo recte dixisset substantivum *domus* plurali numero apud Senecam nusquam quartam declinationem sequi, tamen hoc argumentum non esset. Statius enim *domûs* adhibuit Theb. V 97 et IX 798, *domos* V 107, 149, 427. sed re vera invenitur *domûs* apud Senecam:

Ag. 729: geminumque duplices Argos attollit domus,

Hf. 239: post haec adortus nemoris opulenti domus.

quo loco altera manus *domus* in *domos* mutavit. *colos* traditum est *Hf.* 559, *HO* 372, 668 [77]), *colus HO* 218, 768, 1084 [78]). modo igitur habemus formam *colos*, modo *colus*. velut Statius scripsit *colus* Silv. III 1, 172, Ach. I 582 et 635, Theb. X 649, *colos* Silv. I 4, 64, Theb. V 150. ac mihi persuasum est Senecam si saepius in reliquis fabulis quartum casum substantivi *colus* plurali numero adhibuisset, nonnumquam *colus* scripturum fuisse. idem Leo contendit (I p. 61 adn. 9) *HO* 520 vocem *tabum* usurpatam esse contra usum Senecae, qui *tabes* praetulerit. *tabes* traditum est: *Phoen.* 164, *Med.* 641, *Oed.* 652, *HO* 528, 716, 738, 1194, *Oct.* 512, *tabum Hf.* 785, *HO* 520, 786. Statius voce *tabum* decies usus est: Theb. VII 765, IX 19 et 72, X 290, 298, XI 87, 582, XII 283, 567, XIII 701; formam *tabes* inveni ter: Theb. II 14, 677, III 129.

Sequitur scriptura *quom*. Leoni concedendum est in hac fabula sola formae quae est *quom* certa vestigia comparere: v. 587, 596 *quum*, 607 *quem*, 610 *quom*, 301 *qum*, 209 *quin*. quod argumentum vir doctissimus cum priorem tragoediae partem, in qua hae formae exstant, genuinam aestimaret, nihil valere ipse credidit. apud Statium, qui alibi semper *cum* scripsit, ter

---

[77]) *HO* 668: altera manus *colus* fecit ex colos.

[78]) versus *HO* 1097 et 1180 non iure Leo huc revocavit, nam 1097 *colus* est genetivus singularis (velut Oed. 985), et v. 1180 legimus in E *turpe scelus*.

in Silvis legimus *quom* (I 4, 29; I 5, 39 [79]), II 3, 69); hac re num comprobatur Silvas non a Statio profectas esse?

Praeterea Leo sibi persuasit Herculis Oetaei auctorem fere ubique *volgus*, *voltus*, *inclutus* scripsisse, contra Senecam semper *vulgus*, *vultus*, *inclitus*. exempla autem vir doctissimus non attulit, neque enim potuit afferre. nusquam *volgus* in *HO* traditum est [80]), ter tantum exstat *vulgus* 605, 806, 1745. *inclitus* legimus: *Hf.* 339, 347, *Troad.* 236, 463, *Phoen.* 185, 536, *Med.* 130, 226, 367, 511, *Aga.* 125, 310, 400a, *Thy.* 123, 190, *HO* 422, 1200, 1984, *inclutus*: *Hf.* 134, *Troad.* 714, *Oed.* 221, *Ag.* 369, 918, *HO* 332, 882, 1415, 1427, 1481, 1515, 1832. itaque si severe agere volumus, Oedipus, cum nusquam *inclitus* habeat, maxime a ceteris fabulis abhorret. *vultus* vel *voltus* in Hercule Oetaeo invenitur tricies bis (v. 165, 170, 199, 227, 230, 247, 251, 356, 483, 700, 705, 808, 1017, 1258, 1266, 1273, 1290, 1296, 1348, 1489, 1555, 1574, 1603, 1608, 1645, 1684, 1708, 1724, 1726, 1753, 1978, 1992). sed dubii sunt loci 356, 808, 1753, nam 356 traditum *vultumque* depravatum videtur esse ex *multumque,* quod in A legimus. 808 scriptum videmus *vultus*, sed prior *u* exstat in rasura alterius manus. versus 1753 in E omissus est. supersunt igitur loci undetriginta. inter quos *voltus* legimus terdecies (251, 1258, 1266, 1273, 1290, 1296, 1489, 1603, 1608, 1645, 1708, 1724, 1992), *vultus* sexies decies (165, 170, 199, 227, 230, 247, 483, 700, 705, 1017, 1348, 1555, 1574, 1684, 1726, 1978). itaque auctor non fere ubique *voltus*, sed saepius *vultus* scripsit. hoc cum constet, facile credas etiam dubiis illis locis (808 et 1753) olim *vultus* exstitisse. ergo duodevicies formam *vultus* deprehendimus. itaque Richterus, si iterum Senecae tragoedias edendas curabit, locis quibus *vultus* traditum est, non scribet *voltus*, quod nuper fecit (cf. v. 247, 1348, 1684, 1726, 1978), sed quibus *voltus* exstat, *vultus* in textum recipiet. dicet aliquis: differentia quamvis parva inter Annaeanas tragoedias et Herculem Oetaeum profecto exstat, nam non nisi in hac fabula nonnumquam

[79]) I 5, 39: traditum est *quoque.* Vollmerus editor coniecit *cumque.* sed apertum videtur hoc loco olim *quomque* exstitisse. *quomque,* ut pauca exempla afferam, legimus Plaut. Bacch. 252, Capt. 356, 924, 926, 927, Truc. 451, 516, Terent. Andr. 63, 488, Heaut. 578.

[80]) cf. etiam Birt (l. s. p. 516).

voltus et quarto pluralis casu *colus* scriptum est. itaque mihi liceat addere perpauca quibus demonstratur in ceteris tragoediis rem orthographicam non melius se habere. ablativum singularis vocis *laurus* legimus *Ag.* 779 *lauru*, *Thy.* 54 autem *lauro*. *suboles* scriptum est *Troad.* 463, 528, *Phaed.* 468, *soboles* *Ag.* 157. semel *set* pro *sed* traditum est Oed. 1009. *vaecors* exstat *Phoen.* 291, *Med.* 123, *Phaed.* 1155, *Oed.* 1005, *Ag.* 734, *HO* 1408, contra *vecors* *Troad.* 285. *vaesanus* legimus *Phoen.* 584, *Med.* 123, 738 *Ag.* 724, *HO* 1930, *vesanus* *Hf.* 1095. *decumus* deprehendimus *Troad.* 76, *decimus* *Ag.* 502. *claudere* inveni *Hf.* 306, 986, *Troad.* 167, *Phoen.* 246, *Med.* 458, 464, *Phaed.* 222, 534, 781, 863, 939, 1226, *Oed.* 505, *Ag.* 109, 559, 718, 889, *Thy.* 335, 491, 1068, *HO* 956, *cludere* *Hf.* 281, *Troad.* 139, 186, 317, *Phoen.* 148, 467, *Med.* 820, *Phaed.* 47, *Thy.* 232, 916, 1041, *HO* 599, 1441 [81]). cui haec non sufficiunt, inspiciat indicem orthographicum editionis Richterianae, ubi plura huc pertinentia collecta sunt.

Ne quis miretur quod *HO* 771 *hocne*[82]) et 1243 *haecne* invenitur, affero locos hos: *Phaed.* 1269 *haecne*; Stat. Theb. I 173 *hancne*, I 189 *hicne*, V 633 *hocne*, VII 20 *hicne*, VII 705 *hicne*, IX 421 *huncne*, IX 715 *haecne*.

Iam absolvimus atque redarguimus omnia argumenta ad res orthographicas spectantia. sed haec leviora, illa vero gravia atque magna sunt, quae ad usum loquendi pertinent. primus, quod sciam, huic rei operam ac studium navavit D. Heinsius (apud Scriv. p. 344 sqq.). qui quae de usu verborum *ictus* et *ambo* disputavit, ea bene diluta sunt a Leone (I p. 66) et a Melzero (p. 31). recte autem vidit *HO* 150 (*vetare Solem*) et 1624 (*vetare Phoebum*) *vetare* pro *arcere* positum esse. hunc usum ut excusaret Melzerus (p. 32) attulit Statii locum Theb. XII 558: *quos vetat igne Creon* h. e. rogis et igne supremo interdicit. praeterea autem comparandi sunt loci hi:

Valer. Flaccus VIII 303: nec longius inter
quam quod tela vetet, superest mare,

Stat. Silv. III 1, 173: avertam luctus et tristia damna vetabo,

[81]) *cludere*, ut hoc addam, etiam repperi Iuven. VII, 26, Stat. Silv. III 4, 11; IV 6, 67; V 1, 168; Theb. II 6; II 307; VI 727; VII 434; VIII 198; X 451; XI 58;

[82]) in E traditum est *hoccine*, sed res metrica poscit *hocne*.

Tacit. ann. XI 20: inter Mosam Rhenumque trium et viginti milium spatio fossam perduxit (sc. Corbulo), qua incerta Oceani vetarentur.

D. Heinsius aliique aegre tulerunt, quod *HO* 1586 (*quam tuas laudes populi quiescant*) *quiescendi* verbum accusativum recipit. Melzerus dixit apud Plautum et apud Statium idem inveniri, sed exempla non attulit Georgium secutus. loci autem Plautini qui huc referri possint, non satis quadrant, nam Most. 1173 (*tu quiesce hanc rem modo petere*) non accusativus sed infinitivus e *quiesce* pendet et Mil. gl. 927 (*quiescas cetera*) *cetera* fortasse adverbii vicem tenet. apud Statium *quiescere* semel active positum est

Theb. IV 432: hic late iaculis circum undique fixis
effusam pharetra c e r v i c e m excepta quiescit.

accedit quod Servius ad Verg. Ecl. 8, 4 adnotat: *quiesco duplicem habet significationem; et aliter dico quiesco ego et aliter quiesco servum.*

HO 987 (Deianira alloquitur Hyllum):

ignave dubitas? Herculem eripuit tibi
haec, haec peremit dextra cui debes patri
avum Tonantem. maius eripui decus,
quam in luce tribui. si tibi ignotum est nefas,
a matre disce.

hoc loco *in luce tribuere* male pro *parere* dictum esse credidit idem Heinsius. neque enim vidit Deianiram verbis *maius eripui decus quam in luce tribui* non in universum loqui, sed Hyllum compellare. ad *eripui* et *tribui* semper supplendum est *tibi.* itaque Deianirae verba hoc modo intellegenda sunt: maius donum nunc tibi eripui quam tunc tibi tribui cum te in lucem edidi.

HO 517: tum longum ferens
harundo vulnus tenuit haerentem fugam
mortemque fixit.

fixit pro *intulit* usurpatum D. Heinsio displicuit. sed *vulnera figere* legimus apud Martialem (epigr. I 60, 4):

alta iuvencorum vulnera figet ubi?

Non iniuria D. Heinsius in eo haesit quod *genus* quater pro genere humano positum est *HO* 63, 760, 1810, 1863. hoc

prorsus singulare esse concedimus, quod tamen excusatione non caret. legas *Phaed.* 466:

providit ille maximus mundi parens,
cum tam rapaces cerneret Fati manus,
ut damna semper subole repararet nova.
excedat agedum rebus humanis Venus,
quae supplet ac restituit exhaustum genus:
orbis iacebit squalido turpis situ,
vacuum sine ullis piscibus stabit mare,
alesque caelo derit et silvis fera
solis et aer pervius ventis erit.

pro ‚exhaustum genus' codices deteriores praebent ‚humanum genus' non recte, nam genus non de genere humano solo, sed de omnibus animalibus dictum est, quod ex sequentibus verbis apparet. itaque Seneca similiter atque Herculis Oetaei auctor peccavit [83]).

HO 1883: flete Herculeos, Arcades, obitus,
nondum Phoebe nascente genus.

D. Heinsius adnotavit: ‚nescit (sc. poeta) quid dicat'. vir doctissimus ipse non cognovit hoc loco ablativum absolutum (*nondum Phoebe nascente*) e substantivo (*genus*) pendentem admissum esse. quam ad rem infra redibit disputatio (p. 54/55).

Quae Goebelius de usu adiectivi *immemor* dixit (l. s. p. 740), refutata sunt a Melzero p. 31/32.

Richterus vidit (de. S. tr. a. p. 25) *HO* 1861 *quamquam* non ad verbum finitum accedere. idem *HO* 1506 fieri deprehendit Leo (I p. 62). perperam autem Richterus contendit (l. s. adn. 1) solos recentiores scriptores et poetas sic locutos esse. iam Georges attulit exempla haec: Sallust. hist. I fr. 48 § 2: *nam bellum atque arma, quamquam vobis invisa, tamen quia Lepido placent, sumunda sunt* et Cicer. de finib. V § 68: *nec vero umquam summum bonum assequi quisquam posset, si omnia illo, quae sunt extra, quamquam expetenda, summo bono continerentur.* praeterea repperi Statii locos hos: Silv III 3, 70; V 2, 103; Theb I 669; IV 820; V 300; VI 41; XI 399; XII 206, 394.

Richterum id quoque offendit quod *genus* ter (*HO* 40, 1699, 1884) *nationem* significat. sed hanc significationem saepissime inveniri inter omnes constat. quae Richterus de loco

[83]) Phaedrae locum iam Richterus vidit (p. 26 adn. 1).

HO 1849 (*aliqua mater*) disputavit, a Leone (I p. 66) et a Melzero (p. 32) profligata sunt et verba sua de versibus 191 et 482 facta nuper in editione vir doctissimus ipse tacite in irritum vindicavit. nec magis valent, quae de *HO* 520 (*tabum*) disseruit (cf. Leo II p. 383).

Sonandi verbum pro *praedicari* positum (*HO* 692) aegre tulerunt Richterus (p. 26) et Birtius (p. 516). Ovidius scripsit[84]) *te carmina nostra sonabunt* (unsere Lieder werden dich preisen), apud Senecam legimus (Oed. 402): *carmen sonet* (ein Lied soll gesungen werden). modo igitur transitive, modo intransitive usurpatum est sonare. atque cum Martialis dicat I 61, 6: *Nasone Paeligni sonant* (die Päligner werden wegen Naso gepriesen), verba: *felix alius magnusque sonet* (ein anderer mag glücklich und groß gepriesen werden) non adeo mira sunt. praeterea Birtius ipse dixit etiam apud Nemesianum *sonare* idem significare quod *praedicari*. accedit quod locus non ita bene traditus est, ut certissime aliquid affirmari possit. codices enim deteriores pro *sonet* praebent *volet*.

Porro Richterus in eo haesit (p. 26), quod *HO* 668 *colus* per synecdocham pro *lana* et 1661 *nodus* pro *clava* dictum est. tales translationes notissimas atque omnibus poetis usitatissimas esse contendit Melzerus (p. 31). addo Val. Flacci verba 6, 645: *diva supremas rumpit iniqua colus.*

HO 887: quicumque fato ignoscit et parcit sibi,
HO 982: parce iam, mater, precor.
ignosce fatis; error a culpa vacat.

Richterus adnotavit (p. 26): *singulari deinde phrasi poeta utitur, fatis ignosce, id est delictum fati culpa commissum non vindicare.* similem locum in Troadibus inveni v. 22:

stat avidus irae victor et lentum Ilium
metitur oculis ac decem tandem ferus
ignoscit annis.

cf. etiam Melzeri verba p. 33.

Denique Richterus, qui Oedipum quoque et Agamemnonem fabulas spurias existimabat, attulit (p. 29) *edisserendi* verbum non nisi *HO* 1617, *Ag.* 966, *Oed.* 787 exstare. nobis qui sciamus has duas tragoedias genuinas esse, hac re nihil probatur.

[84]) hunc locum Ovidianum esse testatur Georges.

idem credidit in his solis fabulis vocabulum *paedor* inveniri. sed legitur *Hf.* 628 [85]). *autumare* non solum in Hercule Oetaeo et Oedipode, sed etiam in Phaedra (257) exstare Richterus ipse vidit. adiectivum *altisonus HO* 530 traditum praeterea repperi *Ag.* 582 et *Phaed.* 1134. adiectiva in *ficus* terminata neque in *HO* neque in *Thy.* exstant (cf. Richt. p. 29 et p. 3 adn. 2). praepositionem *propter* etiam *Phoen.* 336 usurpatam esse iam Leo deprehendit (I p. 66). cf. Richt. p. 25.

Iam Leonem audiamus. qui vir doctissimus aegre tulit (I p. 56) quod *HO* 1600 *magis* pro *potius* positum est. iam Melzerus (p. 34) hoc leve argumentum diluit.

HO 1652* victrice felix, iuvenis, has numquam irritas
mittes in hostem; sive de media voles
auferre volucres nube, descendent aves
et certa praedae tela de caelo fluent.

Leo reprehendit (I p. 62) quod v. 1653 *sive* secundo loco tantum diiunctis sententiae membris apparet [86]). ac Birtius adnotavit (p. 549): Unmöglich richtig aber ist das sive, da kein zweites sive daneben steht, dem es entspräche. cum Leoni, qui lacunam statuit (cf. editionem), sententia per *sive* incohata fuisse videretur (velut *sive eris in acie*), Birtius pro *sive de* coniecit *si vel e.* quam viri doctissimi emendationem appellaverunt Tachavus eine evidente Textverbesserung (cf. Philol. 48 p. 745/46) et Melzerus *egregiam coniecturam* (p. 34). mihi autem carus magister meus sententiam suam non probavit. nam certum videtur hoc loco praepositionem *de* retinendam esse. simillimus enim locus exstat in

Phaedra (816) [87]) aut si tela modo spargere Parthico
in caelum placeat, nulla sine alite
descendent, tepido viscere condita
praedam d e mediis nubibus afferent.

praeterea compares *HO* 1621: *nube de media vocat, HO* 1655: *tela de caelo fluent,*

Med. 799: tibi d e medio rapta sepulchro
fax nocturnos sustulit ignes.

---

85) quod vidit Habruckerus (quaestionum Annaeanarum capita IV pars I p. 6).

86) moneo in E non *sive*, sed *si* traditum esse.

87) attulit Leo (I p. 51).

itaque censeo particulam *sive* servandam esse. Hercules enim sagittas Philoctetae dat, ut vel hostes vel aves interficiat. et legi apud Draegerum (Historische Syntax der lateinischen Sprache [2] II p. 148): sive ‚oder wenn' ist zuweilen in vel si aufzulösen, so dass vel von si getrennt gedacht, zu einem Satze gehört, von dem der Bedingungssatz mit si abhängt. ac non solum Draegerus ipse, sed etiam CFW. Muellerus (Ueber den Gebrauch von sive p. 9 sq.) locos collegerunt, ubi particula sive secundo loco tantum exstans hanc significationem habet. Muelleri libellum si inspicies facile cognosces Terentium, Horatium (ter), Vergilium, Tibullum (bis), Propertium (ter), Ovidium, Persium eandem licentiam atque Herculis Oetaei auctorem sibi permisisse. hoc igitur non argumentum est, quo aliquis uti possit. ceterum concedendum est Senecam tragicum particulam *sive* hac significatione alibi non adhibuisse.

Versus *HO* 1592 et 1830 Leoni, cum ipse videret Herculis Oetaei poetam his locis ab usu aliorum non abhorrere, non afferendi erant [88]).

HO 1760: o quanta, Titan, ad nihil moles abit.

A praebet: *in* nihil. Leo adnotavit (I p. 63): *noverat interpolator* (*sc. autor lectionis A*) *constantem Senecae aliorumque usum; praecipue ex Ovidii transformationibus notissimum est abeundi verbum translato sensu, quod idem significat quod mutari, cum in praepositione coniunctum.* mihi non verisimile videtur hoc loco *abire* pro *mutari* positum esse. verba *ad nihil abire* per analogiam orta sunt ex locutione quae fuit *abire ad plures, ad inferos* (= *mori*) [89]). similiter Cicero dicit Tusc. I § 32: *abiit ad deos Hercules.* ceterum ne id quidem veri dissimile est hoc loco praepositionem *ad*, quae in codicibus deterioribus non tradita est, librariis imputandam esse, praesertim cum *HO* 962 (*in hanc abire coningum turbam libet*) verbum abeundi, quamquam sensum translatum non habet, tamen cum *in* coniunctum sit.

Neque plus valet quod bis [90]) in HO (975 *teque languenti*

---

[88]) *HO* 1592 Richterus fortasse recte coniecit *impendens* et ad *HO* 1830 comparandus est *Hf.* 605: *atque in labores non satis terrae patent.*

[89]) cf. Birt, Das Arvallied, Archiv für Lexikographie XI p. 165, 168, 188.

[90]) iniuria huc rettulit Leo *HO* 1500, ubi vulgo legitur *sive*

manu Non audit arcus et 1884 *flete Herculis, Arcades, obitus, Nondum Phoebe nascente genus*) ablativus absolutus substantivo obnoxius invenitur (cf. Leo I p. 57 et p. 62). facile enim intellegitur quid poeta dicat. de loco *HO* 975 optime disputavit Melzerus p. 31. verba 1885 *nondum Phoebe nascente genus* dicta sunt pro: *Arcades iam genus erant cum Phoebe nondum nata esset.* quam ob rem poetae hunc ablativum absolutum bis tantum adhibitum ignoscemus.

Quod pronominis personalis casus genetivus interdum ad substantivum ita accedit ut ultro cum pronomine possessivo mutari possit vituperaverunt Leo (I p. 64) et Birtius (l. s. p. 516). loci, quos iam Leo vidit, sunt hi: HO 557 *perbibat formam mei* (*flammas mei* A), 954 *nunc veram tui* (*tuam* A) *agnosce prolem*, 1216 *nam quis dignus necis Herculeae superest auctor nisi dextra tui?*, 1502 *licet sit falsa progenies mei* (*mihi* A). versus 949 *recipe me comitem tibi* (*tui* A), 1242 *haec moles mea est* (*mei est* A), 1966 *quicquid in nobis tui Mortale fuerat ignis evictus tulit* Leo afferre non debuit. nam verba *tibi* (v. 949) et *mea* (v. 1242) in E tradita satis apte dicta sunt et v. 1966 genetivum legi necesse est; pendet enim *tui* e *quicquid* [91]). primum moneo locos, cum modo in E, modo in A pronominis personalis genetivus pro possessivo pronomine exstet, non satis certos esse. deinde Leo ipse concessit huius genetivi usum qui mediae latinitatis scriptoribus frequentatus sit, certe plerumque librariorum culpa ortum esse. tum apud Senecam rhetorem, Ovidium, Vergilium, Catullum eandem licentiam admissam esse idem vir doctissimus vidit. et nescio an haec sufficiant, ut loci illi excusentur. sed pauca addere possumus. Melzerus recte dixit (p. 32) genetivo pronominis personalis personam gravius premi quam pronomine possessivo. hac de causa Deianira dicit (555):

si quas decor
Ioles inussit pectori Herculeo faces
extingue totas, perbibat formam m e i, (non Ioles).

hac de causa chorus Herculem alloquitur verbis his (1216):

---

nascente Hercule Nox illa certa est. sed in E traditum est *sive nascentem Herculem* e. q. s. et A praebet *sive nascente Hercule Non illa certa est.* itaque hic locus nimis dubius est.

[91]) locum recte interpretatus est Melzerus p. 9 adn. 2.

nam quis dignus necis Herculeae
superest auctor nisi dextra t u i?

nam Hercule dignus auctor Herculeae necis solummodo Hercules ipse ist. hac de causa Deianira certior facta quantum facinus commiserit dicit (952):

adde me comitem tuis,
Threica coniunx, sceleribus; natam tuam,
Althaea mater, recipe, nunc veram t u i
agnosce prolem.

prolem t u i, quae sceleratissima femina fuisti.

Restat locus 1502 *licet sit falsa progenies mei* (*mihi A*), qui simili excusatione caret. itaque credo hoc loco *mei* ex *mihi* depravatum esse. talis enim error facillime evenire poterat, velut *HO* 949 legimus in E *recipe me comitem tibi*, in A autem *comitem tui*. fortasse eo quoque, quod hic *tibi* in E traditum est, opinio mea paulum affirmatur. itaque etiam hoc argumentum refellimus, quod levius esse Leo ipse concesserat (I. p. 70). praeterea alia causa inveniri potest, cur huic pronominis personalis usui venia tribuenda sit (cf. part. tert.).

Age nunc illa videamus quae Birtius castigavit. qui vir doctissimus ad *HO* 104 (*par ille est superis cui pariter dies Et fortuna fuit*) adnotavit (p. 533): wo fast unverständlich fuit gesagt ist statt esse desiit[92]. sed iam N. Heinsius dixit (l. s. p. 436) *traditam lectionem non temere sollicitandam esse.* vidit enim duos Vergilii locos hos: *sed fortuna fuit* (Aen. VII 413) et *fuimus Troes*, *fuit Ilium* (Aen. II 335). nonnumquam igitur *fuisse* idem significat quod *esse desiisse.* conferas etiam Melzer. p. 32/33.

In Hercule Oetaeo verborum *quota est* et *vitam reddere* usum, qui Birtio displicuit (p. 533 et p. 534), ab Annaeano non abhorrere demonstravit Melzerus (p. 32). vide etiam infra (p. tert.).

Idem Birtius in plurali *populi* haesit p. 537/38: Ueberhaupt, inquit, braucht der Dichter dieses Herkules fast ständig bombastisch den Plural populi cf. v. 1586, 1818, 1811 und 1536 sogar Arcades populi vetusti, 1018, 1918, 1993, 1335, 855 und sonst, seltener den Singular wie 1541; dagegen hat

[92]) hoc Tachavo quoque molestum erat, Philol. 46 p. 381.

Seneka meist den Singular und würde ihn auch in der Mehrzahl der angeführten Stellen angewandt haben. vituperavit igitur vir doctissimus quod poeta pluralem singularis loco posuit, nam in universum si rem consideramus, Seneca huius vocis pluralem saepius singulari usurpavit[93]). cum Birtius contenderet *Med.* 58, 484, 794, *Phoen.* 614, *Troad.* 772, *Hf.* 1241, *Phaed.* 158 pluralem adhibitum esse, quia singularis intelligi non posset, Melzerus non solum *Thy.* 648 et *Ag.* 602, sed etiam *Med.* 58 et *Troad.* 772 pluralem pro singulari legi dixit (p. 31). *Troad.* 766 sqq. Andromacha filium suum alloquitur, quem mox necatum iri scit. ac magnopere lamentatur misera mater, quod Scamandrius numquam rex et dominus fiet. dicit enim v. 771:

> Iliaca non tu sceptra regali potens
> gestabis aula, iura nec p o p u l i s dabis
> victasque gentes sub tuum mittes iugum,
> non Graia caedes terga, non Pyrrhum trahes.

sane Birtio concedendum est hoc loco singularem *populo* intellegi non potuisse; nam Andromacha non tam de Troiano populo quam de omnibus eis populis cogitat, quos Astyanax rex in dicionem potestatemque suam redegerit.

Med. 56 chorus canit:

> Ad regum thalamos numine prospero
> qui caelum superi quique regunt fretum
> assint cum populis rite faventibus.

etiam hoc loco Birtium quam Melzerum sequi malim. verba enim in universum dicta sunt. itaque cum legamus *ad regum thalamos,* poscimus pluralem *cum populis.* contra recte attulisse videtur Melzerus locos *Thy.* 648 et *Ag.* 602. nec desunt alia exempla. *HO* 1916 poeta Alcmenam inducit quaerentem quo loco Hercules mortuus versetur:

---

[93]) pluralis exstat in *Hf.* novies (191, 230, 293, 557, 560, 667, 708, 775, 1241), singularis ter (169, 382, 838); in *Troad.* bis (772, 1137) — quater (893, 1009, 1083, 1120); in *Phoen.* ter (265, 325, 614) — semel (551); in *Med.* ter (58, 484, 794) — bis (604, 977); in *Phaed.* sexies (150, 494, 529, 562, 759, 911) — bis (488, 983); in *Oed.* bis (573, 607) — septies (33, 76, 396, 589, 744, 784, 874); in *Aga.* semel (602) — semel (181); in *Thy.* bis (88, 648) — sexies (188, 204, 206, 411, 644, 875); in *HO* duodevicies (27, 420, 607, 608, 612, 672, 855, 1018, 1335, 1536, 1586, 1605, 1811, 1818, 1871, 1876, 1918, 1993) — ter (1541, 1810, 1824).

iamne Elysias, o nate, domus
iam litus habes
ad quod populos natura vocat?

pluralem *populos* reprehendit Birtius. sed conferas

Hf. 186: nimium, Alcide, pectore forti
properas maestos visere manes:
certo veniunt tempore Parcae.
nulli iusso cessare licet,
nulli scriptum proferre diem:
recipit populos urna citatos.

Hf. 707: Quid ille opaca qui regit sceptro loca,
qua sede positus temperat populos leves?

praeterea afferre possum *Hf.* 293, *Phoen.* 265, *Phaed.* 529, *Oed.* 573. maxime idoneus locus est *Troad.* 1136, ubi in versu 892 Helena ab Andromacha appellatur *pestis exitium lues utriusque populi* (sc. Graecorum et Troianorum); similiterque nuntius dicit (1160): *uterque flevit coetus.* at in versu 1136 legimus: *ferror attonitos tenet utrosque populos.* haec verba sine dubio bombastisch dicta sunt. compares etiam quae infra hac de re disputavi (p. tert.). differentia ergo non adest.

Tachavus haesit (Philol. 46 p. 380) in voce *ultimus*; cf.

HO 107: quisquis sub pedibus fata rapacia
et puppem posuit fluminis ultimi.

hoc enim loco contra usum Senecae, qui *Phaed.* 98, *Oed.* 869, *Hf.* 1107, *Troad.* 146 adiectivum *imus* adhibuerit, *ultimi* pro *imi* vel *inferni* positum esse. *Oed.* 869 legimus:

Dehisce tellus, tuque tenebrarum potens,
in Tartara ima, rector umbrarum, rape
retro reversas generis ac stirpis vices.

exstat autem similis locus *Troad.* 519:

Dehisce tellus, tuque, coniunx, ultimo
specu revulsam scinde tellurem et Stygis
sinu profundo conde depositum meum.

ultimus specus idem significat quod *Tartara ima*. praeterea, quod summum est, Tachavus omnino non recte contendit *HO* 108 *ultimi* pro *imi* dictum esse. ultimum flumen est der letzte Fluss. homines dum vivunt multa flumina transire et saepius in mari navigare solent. si vero mortui sunt, ultimum flumen

(sc. Acheron) eis transeundum est. quo traiecto numquam posthac flumen ullum transgredi possunt, nam Acherontis undae, ut Vergilii verbis utar, irremeabiles sunt[94]).

Iam pervenit haec disputatio ad particularum usum, qui ubi de auctore quaeritur magni momenti est. nec tamen necesse est Senecam omnes particulas, quibus uti solebat, in omnibus tragoediis adhibuisse (cf. Melzer p. 33). itaque si discrimen non nisi parvum exstat, circumspectius nobis iudicandum est. *etiam* particulam in omnibus ceteris fabulis usurpatam in *HO* prorsus desiderari et bis tantum (v. 710, 724) *etiamnum* legi contendit Richterus (d. S. tr. a. p. 24). inveni *etiam* in *HO* 1406, qui tamen locus corruptus est. Senecam hac particula perraro usum esse iam Melzerus vidit. exstat enim semel in *Phoen.* 427, semel in *Oed.* 678, semel in *Ag.* 983, bis in *Med.* 499, 678 bis in *Phaed.* 226, 705, *Thy.* 889, 896; quater in *Hf.* 492, 965, 1189, 1261, quater in *Troad.* 303, 570, 670, 733. itaque non differentia, sed similitudo Richtero statuenda erat. *etiamnum* traditum est in *Hf.* semel 936, *Troad.* semel 500, *Phoen.* ter 176, 273, 368, *Med.* bis 278, 1012, *Oed.* bis 618, 680, *Thy.* bis 257, 914, *HO* bis 710, 724, *Phaed.* nusquam. itaque cum Melzero quaero: hac re num contra Phaedram suspicio nobis movebitur?

Idem Richterus aegre tulit quod *saltem* septies in *HO* (87, 932, 1259, 1317, 1374, 1416, 1914) legitur, in ceteris ter tantum *Med.* 1015, *Ag.* 492, *Hf.* 1204 (hunc locum primus Melzerus vidit). contra dico particulam *nuper* in his omnibus fabulis vitatam semel exstare in Phaedra 788.

Porro Richterus in eo haesit, quod in *HO* particula *nempe* paulo crebrius quam in ceteris tragoediis invenitur. *nempe* enim scriptum videmus in *Hf.* semel 44, *Troad.* ter 325, 340, 744[95]), *Phoen.* bis 522, 523, *Phaed.* bis 244, 645, *Oed.* semel 76, *Ag.* semel 702, *Thy.* semel 412, *HO* decies 332, 353, 363, 366, 369, 374, 437, 903, 1911, 1912 (cf. Melz. p. 33). Phoenissae fabula composita est ex versibus 664, contra Hercules Oetaeus, quae ex 1996 versibus constat, triplo maius spatium complet.

---

[94]) Vergilium hoc loco (Aen. 4, 425) non de Acheronte, sed de Styge loqui mihi non ignotum est.

[95]) Troad. 933 pro *sicre* perperam Richterus coniecisse videtur *nempe* cf. Symbola Doctorum Jenensis Gymnasii in honorem Gymnasii Isenacensis collecta, particula prior p. 32.

itaque si sexies tantum *nempe* in *HO* exstaret, Hercules alter optime cum Phoenissis conveniret. nunc autem, cum decies[96]) *nempe* in *HO* legatur, auctorem huius tragoediae Richterus vituperare ausus est. quam ob rem memorabile esse mihi videtur *nempe* bis (*HO* 332 et 437) in E omissum et locum 369, cum in Florentino traditum sit *nempe Thespides vacant,* in A autem *mene Thespiades vocant*, non satis certum esse[97]). praeterea et Leo (I p. 66) et Melzerus huic particulae id quoque praesidio esse contenderunt, quod v. 351—379 quinquies quasi in una periodo membra argumentationis conectat. iam vero particulas *autem*, *ceu*, *comminus*, *nonnumquam*, *proprie* non nisi in Troadibus inveni (cf. v. 927, 20, 348, 904, 435). neque tamen Troades spurias dices.

Fere particulam a Senecae usu alienam bis tantum in *HO* (407, 452) adhibitam esse Richterus dixit (p. 25). primum moneo *fere* in Etrusco omnino non traditum esse, nam versus 407 omissus est et v. 452 *fare* invenitur. deinde exstat *fere Troad.* 438 et fortasse 1143. qui locus corruptus est: legimus enim in A *et fere*, in E autem *effert*, quod nihili est et metrum delet. maxime igitur verisimile est codices deteriores meliorem lectionem praebere.

Forte quater in *HO* positum (500, 522, 722, 929) offendit eundem Richterum. *nisi forte* scriptum vidi *Ag.* 960 et *Phaed.* 628[98]). adde quod *neque* nusquam invenitur nisi semel in *Oed.* 381. iamne concludi potest Oedipum insitivum esse?

Donec non solum semel in *HO* 429, sed etiam quater in *Oed.* 622, 745, 760, 960 exstare Richterus ipse vidit. accedit quod versus *HO* 429 in E non traditus est.

Palam legimus *Ag.* 258, *HO* 1261, 1516, 1517[99]). Richtero displicuit quod *palam Ag.* 258 praepositionis vicem tenet, contra in *HO* semper adverbium est. at inter omnes constat *palam* adverbium poetis et scriptoribus prosae orationis usitatissimum esse, *palam* autem praepositionem perraro inveniri.

[96]) Richterus ipse novies tantum *nempe* deprehendit, recte autem numeravit Melzerus p. 33.

[97]) *HO* 374 N. Heinsius pro *nempe illa cervix* scribi voluit *Nemeaea cervix* (l. s. p. 442).

[98]) Agamemnonis locum iam Richterus vidit.

[99]) locos *HO* 1516 et 1517 non attulit Richterus.

atque *Ag.* 258 (*ultimum est nuptae malum, Palam marita possidens paelex domum*) iam prima manus *marita* correxit in *mariti,* quod Richterus nuper ipse in textum recepit. differentia igitur non exstat. sed pro corollario addo praepositionem *coram* semel tantum usurpatam esse *Hf.* 1264 (*genitore coram*).

Potius, quod *Hf.* 1265 *Thy.* 522, *Phoen.* 110, 494, *Phaed.* 613, 655, 622, *Med.* 507, *Troad.* 355, 694, *Oct.* 76, 580 reperiatur, nusquam in *HO*, *Oed.*, *Ag.* legi Richterus dixit. re vera autem haec particula invenitur: *Hf.* 427, 1014, 1094b, 1265, *Troad.* 351, 650, 690, 1059, *Phoen.* 110, 494, *Med.* 507. *Phaed.* 443, 612, 655, 622, *Oed.* 629, *Ag.* 308, 882, *Thy.* 413, 522, 1021, *HO* 852 (i. e. in ea parte quam Leo spuriam aestimat), *Oct.* 177, 578. Hercules Oetaeus, cum etiam in Med. et Oed. semel tantum *potius* admissum videamus, prorsus cum Annaeanis fabulis consentit.

Interim legimus *Troad.* 997, *Phaed.* 1274, *HO* 409[100]), 481, 930. atque cum haec particula *Troad.* 997, *Phaed.* 1274, *HO* 409 proprio sensu usurpata sit, habet *HO* 481 et 930 notionem particulae *interdum,* quod vituperaverunt D. Heinsius (ap. Scr. p. 340 sq.), Richterus (p. 25), Birtius (p. 516). sed hunc usum in Senecae scriptis prosa oratione conditis frequentatissimum esse vidit Melzerus p. 34. quod solummodo in *HO* bis *interim* pro *interdum* positum est, cum haec particula rarissime in tragoediis inveniatur, sine dubio casui tribuendum est. adiungo particulam *actutum* semel tantum in Phaedra (624) exstare.

Hauddum HO 80 pro *nondum* positum esse contendit Leo (I p. 65), qui ipse vidit (I p. 30) in E non *hauddum*, sed *haud* traditum esse[101]):

HO 79: si post feras, post bella, post Stygium canem
haud astra merui, Siculus Hesperium latus
tangat Pelorus, una iam tellus erit.

ego quidem hos versus intellegere possum. neque sensus neque res metrica postulat ut *hauddum* scribamus. neque alibi Herculis Oetaei poeta usquam *hauddum* usurpavit, contra *nondum* septies 201, 213, 546, 774, 1159, 1614, 1884.

---

[100]) versus 409 in E desideratur.
[101]) A praebet *nondum.*

Ultra HO 1245 idem significare quod *posthac* Leo recte dixit (I p. 62). sed legas *Phaed.* 945:

En perage donum triste, regnator freti!
non cernat ultra lucidum Hippolytus diem
adeatque manes iuvenis iratos patri.

Leonem usum particularum *hinc* et *inde* Herculis Oetaei auctori perperam crimini dedisse demonstravit Melzerus p. 34.

Bis in *HO* (859 et 1408) *deinde* ad particulam interrogativam ita accedit, ut non temporis progressum indicet, sed id quod ante dictum est cum vi quadam repetat. hunc usum singularem esse Leoni concedendum videtur (cf. Leo I p. 63 et Melz. p. 34). sed etiam reliquae tragoediae nonnulla a communi usu aliena habent. particulae *ilico*, *citra*, *intro*[102]) non nisi in *Oed.* exstant (v. 598, 951, 557). in *Medea* sola inveniuntur *perpetuo*, *priusquam*, *quippe* (v. 196, 298, 256[103]) 438). solummodo in *Phaedra* leguntur *minime*, *pone*, *verum*, *vero* (v. 895, 1046, 428, 1082).

Leo (I p. 64) et Birtius (p. 516) vituperaverunt *fors HO* 574 pro *forsan* positum, a Seneca alienum. hoc loco non *fors*, sed *forsam* legendum esse iam Birtius mihi persuasit cf. supra p. 31. praeterea Leo ipse concessit (I p. 70) hoc argumentum non multum valere.

Forsitan vel *forsan* a poetis saepe cum indicativo futuri, multo rarius cum indicativo praesentis vel praeteriti coniungi dixit idem Leo (I p. 63). itaque cum bis tantum in reliquis fabulis, quater autem in *HO forsitan* vel *forsan* cum indicativo praesentis vel praeteriti coniunctum esse animadverterit, Herculis Oetaei poetam contra Annaeanum usum peccavisse contendit. Leo ipse apud Vergilium, Ovidium, Propertium, Tibullum, Lucanum, Statium, Valerium deprehendit tres et triginta locos, quibus idem admissum est[104]). ac non omnes poetae *forsan* vel *forsitan* cum indicativo futuri coniungere maluerunt. Statius enim has particulas e quibus sexies indicativum praesentis vel praeteriti pendere vir doctissimus vidit, non nisi quater, quantum scio, indicativo futuri adiunxit (cf. Silv. I 3, 62; II 3, 63;

---

[102]) traditum est *antro*.
[103]) *Med.* 256 *quippe* in E omissum est.
[104]) apud Ovidium solum inveniuntur tredecim exempla.

V 3, 154; Theb. X 447). in *HO forsan* vel *forsitan* cum indicativo futuri coniunctum est quinquies 408, 473, 574, 912, 1429, cum indicativo praesentis vel praeteriti quater 361, 1781, 768, 1398. dubius locus est v. 1791, quo futurum legendum esse mihi Melzerus satis probavit (p. 34). constat igitur Herculis Oetaei auctorem *forsan* vel *forsitan* saepius cum indicativo futuri coniunxisse quam cum indicativo praesentis vel praeteriti. itaque cum Leo ipse viderit bis[105]) in ceteris tragoediis (*Phaed.* 238, *Thy.* 747) et in pedestribus Senecae sermonibus haud raro eandem licentiam inveniri, contendere audeo hac in re Herculem Oetaeum cum Annaeano usu omnino non discrepare.

Aliud Leonis argumentum est hoc (I p. 66): *p r o Seneca saepius ita adhibuit, ut ad numen testemve qui invocatur proxime accedat. Hercules Oetaeus eo a reliquis recedit, ut p r o non invocandis tantum numinibus addat, sed subinde idem non arte cum alia voce conexum ut o aliasque exclamandi particulas ponat.* In Herc. Oet. *pro* ad numen testemve accedit v. 290, 966, 1173, 1175, 1275, 1364, 1531, non accedit 219, 770, 965, 1231, 1419 bis, 1803[106]) (cf. Melz. p. 34). itaque si rem ad calculos vocare placet *pro* septies ad numen testemve accedit et septies exlamandi particulae vicem tenet. Melzerus recte vidit *pro* etiam *Ag.* 35 et *Oed.* 19 ut exclamandi particulam positum esse. *pro facinus* scripsit Seneca de brevit. vitae 12, 2[107]). apud Statium *pro* fere semper particulae *o* vicem tenet cf. Silv. I 1, 101; Theb. II 92; III 308, 370; V 324, 674, 718; IX 14, 180; X 270, 874; XII 382. adde quod *desuper*, *tantisper* non nisi in Thyeste inveniuntur (v. 163, 451, 280). neque tamen spurius est Thyestes.

Iam unum argumentum nondum refutatum superest. inter-

---

[105]) perperam addidit Melzerus *Med.* 290 et *Thy.* 316, quibus locis non *forsan* vel *forsitan*, sed *fortasse* exstat.

[106]) *HO* 211 *pro* in A traditum in E omissum est. hoc loco olim *a* exstitisse coniecit Wilamowitzius. cum Iole in sequenti versu patrem appellet, fortasse *tibi* supplendum estt (*tibi si tumulum fata dedissent*). — *HO* 1201 traditam particulam *o* retinendam esse supra (p. 32 sq.) exposui. — bene Melzerus de versibus 1231 et 1803 disputavit (p. 34/35). — *HO* 1778: *o nimis felix nimis*, *HO* 1803: *pro nimis felix nimis.* his exemplis usum particulae *pro* optime illustrari Leo credidit. legat vir doctissimus *HO* 1827: *o misera pietas* et *Oed.* 19: *p r o misera pietas.*

[107]) hoc exemplum et alia vidit Birtius (Philol. 63 fasc. 3 p. 430 sq.).

iectionem *ei mihi* sexies (1024, 1172, 1181, 1205, 1402, in *HO*, in reliquis fabulis nusquam legi dixit Leo (I p. 6 duo loci 1181 et 1205 nimis dubii sunt; nam 1181 in I ditum est *potuisset mihi* et in A *potuissem mihi.* atque Lipsius *potuissem ei mihi* coniecisset, Birtius *placuisset* scribi maluit (p. 541). *HO* 1205 in E legimus: *perdi mortem mihi totiens honestam*, in A *perdidi mortem hei* e. q. s.[108]) itaque quattuor tantum loci satis certi sunt: 1172[109]), 1402[110]), 1784. Leoni concedendum est hanc i iectionem ceteris in tragoediis nusquam usurpatam esse. igitur differentia exstat. sed cum hoc fere solum argume sit quod non infirmari potest, non credibile videtur hac particula effici, ut Herculem Oetaeum spuriam esse cuiq persuadeatur (cf. Melz. p. 35). an credis etiam Herculem fu tem, Phoenissas, Agamemnonem fabulas non a Seneca scri esse? inveniuntur enim particulae *mox*, *furtim*, *istuc*[111]), *undecumque* non nisi in Hercule furente[112]). *agite*, *ideo*, *m bratim*, *subinde* in Phoenissis tantum leguntur[113]). atqu sola Agamemnone exstant *attamen 403ª*[114]), *hodie 752*, *9 interea 965*, *posthac 964*, *siquidem 306*, *extra 967*, enclitic *-pte (suapte) 250*[115]). addere liceat interiectionem *ei mihi* bo poetis usitatam esse (cf. Leo I p. 67 sq.).

Quis igitur sit auctor Herculis Oetaei noniam incertu esse credo. omnia enim argumenta virorum doctorum, qui f bulam hanc a ceterarum poeta abiudicaverunt, refellisse ac d luisse mihi videor. itaque cum traditum sit Herculem Oetaeu tragoediam a Seneca profectam esse, eruditissimo illi Neroni magistro relinquenda est.

---

108) *perdidi et* dictum est pro *et perdidi.* quare verba in E tradita retinenda esse puto.
109) in A pro *impendo ei mihi* exstat *impendo male.*
110) A praebet *et mihi.*
111) traditum est *istum.*
112) v. 458, 1179, 1029, 325, 1011.
113) v. 334, 304, 170, 232.
114) vidit Richterus (d. S. tr. a. p. 27).
115) *suapte* deprehendit Schmidtius (l. s. p. 13).

facit, modo n

…etra		pharetra	
–	⌣	–	⌣
		1234	993

Vita.

Natus sum Aemilius Ackermann Klaukenburgensis a. d. V. Non. Oct. anni MDCCCLXXXI patre Guilelmo, matre Ida e gente Knapp, qui quod adhuc vivunt maxime gaudeo. fidei addictus sum evangelico-luthericae. litteris eruditus sum Klaukenburgi, Radevormwaldi, Gueterslohiae. inde vere anni MCMI maturitatis testimonio ornatus Marpurgum migravi, ut philologiae operam ac studium darem. postquam Marpurgi unum annum versatus sum, me Berolinum contuli, unde ad almam matrem Philippinam reverti vere anni MCMIII. quater sex menses proseminario philologo, bis seminario interfui. docuerunt me viri docti Birt, Cohen, Diels, Diemar, Geldner, Haller, Heinze, Helm, Kaftan, Kuehnemann, Lasson, Maass, E. Meyer, Natorp, Niese, Pariselle, Paulsen, Scharff, Schulze, v. Sybel, Thiele, Thumb, Tobler, Wechssler, v. Wilamowitz-Moellendorf, quibus omnibus gratias ago magnas; maximas autem Birtio, caro magistro meo, qui animum meum ad Herculem Oetaeum fabulam excutiendam direxit.